


EPISTOLAE INEDITAE
CAROLI LINNAEI
CAET.

EPISTOLAE INEDITAE

CAROLI LINNAEI;

ADDITA PARTE COMMERCII LITTERARII INEDITI,
INPRIMIS CIRCA REM BOTANICAM,

J. BURMANNI, N. L. BURMANNI, DILLENII, HALLERI, SCHMIDELII, J. GESNERI, OEDERI, PALLASII, VANDELLII ET THUNBERGII;

ANNIS 1736—1793.

EX LITTERIS AUTOGRAPHIS EDIDIT

H. C. VAN HALL,

INSTITUTI REGII BELGICI SOCIUS, BOTANICES ET OECON. RURALIS PROFESSOR IN ACADEMIA GRONINGANA.

GRONINGAE, apud
W. VAN BOEKEREN.
1830.

1896

Herbarium.

25

PRAEFATIO.

Historia semper optima vitae studiorumque magistra fuit habita, tum quia variarum Doctrinarum originem et progressus docet, tum vero etiam, quia recordatio summorum virorum, eorumque, quae nobis reliquerunt, operum, unumquemque, studiorum amore flagrantem, ad optima quaeque praestanda, salutari stimulo excitat.

Opportunitas itaque aliquam Historiae Botanices partem illustrandi, casu oblata, quam acceptissima mihi fuit, ut ad pulcherrimum illud studiorum genus promovendum aliquid pro viribus conferrem. In nobilissima enim BURMANNORUM *familia, cuique Botanico notissima, jamdudum servabantur epistolae, quas ad doctissimum Professorem Amstelodamensem* J. BURMANNUM *ejusque dignissimum filium* N. L. BURMANNUM *scripserant* LINNAEUS, HALLERUS, PALLASIUS, THUNBERGIUS *aliique melioris notae Botanici, qui praecedenti saeculo ad rei Botanicae emolumentum permulta contulerunt. Harum epistolarum aliarumque chartarum huc pertinentium (inter quas MSS.* Florae Lapponicae *ipsius* LINNAEI*), possessor factus, laetus vidi eas plura continere, aliis etiam Botanicis scitu dignissima, quaeque adeo cum publico communicanda mihi videbantur.*

Epistolae Linnaeanae, ipsius manu exaratae, mihi sunt 48, *eaeque per* 37 *annorum spatium ad* BURMANNOS, *patrem et filium, missae. Continent inter alia judicia* LINNAEI *de variis operibus Botanicis, virisque hac in arte eo tempore celebribus et, quod nostra praesertim attentione dignum est, summi hujus Naturae scrutatoris animadversiones ad plantas* PLUMERIANAS *Americanas*, J. BURMANNI *Africanas et praesertim* N. L. BURMANNI *plantas Indicas et Capenses, quibus omnibus opera hac de re edita egregie illustrari et Florae istarum regionum haud parum perfici mihi videntur.*

Scriptae sunt hae litterae per periodum, qua hodiernae nostrae Botanices cognitionis fundamenta maxime jacta sunt, adeoque per periodum in historia Botanices illustrissimum, atque ab ipso hodiernae artis conditore ad amicum datae. Juvabit legisse litteras, in primis, quae LINNAEUS *in Belgio vixit, temporibus scriptas, cum pro parte contineant immensi laboris, quem* LINNAEUS *ibi, in Musaeo praesertim Cliffortiano, praestitit, descriptionem.*

Juvabit novisse alacrem summi viri scribendi rationem, indefessum Botanices et totius Historiae naturalis amorem atque sinceram venerationem, qua optimum nostrum JOANNEM BURMANNUM, *benefactorem suum, per omnes hos* 37 *annos prosecutus est. Juvabit novisse, qualem* LINNAEUS *juniorem* NICOLAUM LAURENTIUM BURMANNUM *habuerit et qua ratione patri bona omnia praedicaverit de sedulo juvene, quem postea et ipse amicissimum habuit et frequenti littera-*

rum commercio in studiis suis, Reipublicae Botanicae utilissimis, semper sustentavit. Permultae herbarii BURMANNORUM *plantae ad* LINNAEUM *quotannis missae fuere, ab hoc examinatae et, secundum numeros adscriptos, observationibus illustratae. Plures ex eorum herbario plantae a* LINNAEO, *qui in* Speciebus plantarum *aliisque operibus multa a* BURMANNIS *detecta publici juris fecit, novis nominibus insignitae fuere, quamobrem* BURMANNORUM *herbarium, hoc etiam respectu, maximi momenti est habendum. Sed eheu! nostratium incuria, hi thesauri, in ipsa* BURMANNORUM *patria, arti Botanicae non amplius inservire possunt* (*).

In edendis autem epistolis cum LINNAEI, *tum aliorum etiam Naturae scrutatorum, pauca omisi, quae aut antea in hisce litteris jam dicta, aut nullius utilitatis nobis essent. Sic nomina plantarum herbarii* BURMANNORUM, *quae numeris* LINNAEUS *adscripsit, nulla caeteroquin addita observatione, consulto omissa sunt. Caeterum nihil fere in hisce litteris mutandum esse censui, ut tales legerentur, quales, sermone irregulari quodammodo et familiari, ab ipsis auctoribus scriptae essent. Epistolae autem* LINNAEI, *si ultimam, parvam illam, excipias, omnes, quantum scio, ineditae sunt; quod mihi, inter alia, patuit ex accurata indicatione operum editorum* LINNAEI, *quam typis*

(*) *Jam ante plures annos utriusque* BURMANNI *herbarium in possessionem venit Nobilissimi Baronis* DELESSERT, *Lutetiis Parisiorum, qui tamen, laudabili studiorum amore ductus, hasce gazas omnino ad promovendam rem herbariam adhiberi sinit.*

mandavit doctissimus Suecus AFZELIUS(*). *Quae ab ipsis* BURMANNIS *conscriptae hic occurrunt, sunt missarum litterarum apographae, quas ipsi scriptores suo usui servaverant, quasque omnes possideo.*

Reliquae epistolae DILLENII, HALLERI, SCHMIDELII, J. GESNERI, OEDERI, PALLASII, VANDELLII *et* THUNBERGII *aut, paucae brevesque, unice inservient, ut horum cogitandi scribendique rationem et modum, quo utrumque* BURMANNUM *venerati sunt, demonstrent, aut, longiores, Botanices, et Virorum hac in re bene meritorum, historiam, ut spero, illustrabunt, et bene multas praeterea circa plantas, et partim etiam circa animalia, animadversiones utiles continebunt. Paucas hinc inde annotationes adjeci, sed brevissimas, ne libri moles nimium augeretur.*

Utinam unicuique Naturae scrutatori hae epistolae in legendo tam gratae sint, ac mihi in edendo gratissimae fuerunt! Utinam tantorum Virorum memoria omnes excitet Botanicos, ut pulcherrimo atque utilissimo Naturae studio omnem vitam impendant! Utinam imprimis laudes, quas tot tantique Botanici, uno fere ore, nostris tribuere BURMANNIS, *Belgas praesertim impellant, ut celeberrimorum patrum suorum vestigia premant et Belgici nominis famae, simul et Historiae Naturalis incremento, omnibus omnino viribus consulant! Utinam sic Patria carissima antiquam gloriam magis magisque recuperet!*

(*) *Cf.* LINNÉ's, eigenhändige Anzeichnungen über sich selbst, mit Anmerkungen und Zusätzen von AFZELIUS. Aus dem Schwedischen übersetzt. *Berlin* 1826, *inter alia p.* 169 *sqq.*

COMMERCIUM LITTERARIUM

LINNAEI

CUM UTROQUE

BURMANNO.

---

1. Viro Celeberrimo

D^no. JOANNI BURMANNO,

Medicinae Doctori expertissimo,

Professori Botanices Amstelae Clarissimo

S. Pl. D.

CAROLUS LINNAEUS,

Med. Doct.

Negligens nimis essem et reverentiae debitae oblitus, si non cum viro clarissimo quid Flora grata generose nobis concessit, communicarem. Jactavit praeterlapso anno Hortus Lugdunensis sesemet prae reliquis, quod protrudere posset flores istos in Europa rariores Aloës, quos tamen plures proferre potuisse Hortos, dudum testantur Botanicorum scripta; sed ehem Horti Lugdunenses, videatis Hortum Hartekampensem, et num Florae almae manus ei tantam concedant fortunam? Sed quo tendo, dicam. Musae nostrae Botanicae florent egregiae Hartekampi. *Musa* inquam, Palmae ista species, quae in utraque India habitat, Musa arabum seu Avicennae. Quod antea in Europa floruit semel, relatum

mihi est, quod bis floruit in Europa numquam audivi antea. Si quis curiosus Botanicus sit in propinquo, non dubito, quin avidissimus sit videre hos flores, quos neque in herbario ullo conspicere queat, nec umquam alias florentes. Hinc multo minus dubito, quin Vir Celeberrimus, ut prae reliquis in Botanicis sapiat, etiam maxime desiderabit videre hocce fere miraculum, et plantam hanc Zeylonicam.

Nobilissimus D^us^ Cliffort salutat et invitat D^um^ Professorem, ut ad eum accedat ante diem solis, tum enim abibit; esset ipsi gratum si D^us^ Professor vellet heic pernoctare cum socio vel sociis, quos secum ducat.

Die veneris accedit D^us^ Gronovius et nonnulli alii.

Quid videtur Viro Celeberrimo de novellis his? annon gratum sit Maecenati meo, quod Flora ei obtulerit flores in Europa rarissimos. Si non hocce specimen excitaret ad continuandum et favore prosequendum studia, ego sane nescio quid posset.

Ego gratulor mihi, quod Flora Maecenati meo has delicias obtulerit eo ipso anno, quo heic de plantis scribo.

Vale, venias cito, permaneas diu, abeas sero. Vale, inquam, saluta Familiam vestram nobilem.

1736. Jan. 24.

---

2. Viro Clarissimo

D. JOANNI BURMANNO,

Medicinae Doctori Expertissimo,

Professori Botanices Amstelidum Clarissimo

&c. &c. &c.

S. Pl. D.

CAROLUS LINNAEUS,

Pr. H. C. (*)

Hora hac, qua respondeo, Litterae amicissimae Viri Celeberrimi ad me delatae fuere, ad quas respondere sequentia necessarium duco. Omnium gratissimum fore vestrum adventum Maecenati meo promitto et spondeo, si modo observetis horam musis amicam. Musam enim studiosis suis post meridiem numquam favere, sine dubio didicistis vos olim discentes, nunc multo melius docentes; hinc necessarium omnino est observare tempus, aurora enim semper musis amica est. Hinc suadet Maecenas meus, ut veniatis avidi cultores musarum necessario ante meridiem, ad minimum ad horam duodecimam, praesertim cum flores Musae in hisce oris sint tam parvi, ut si quis particulas humoris mellei rite distinguere velit, necessario microscopiis selectissimis ipso die meridiano instructus erit; post meridiem vanum erit, crede mihi, omne conamen. Veniatis itaque ante meridiem gratissimi mei Maecenatis hospites, optimique mei fautores. Valete, salutate salutandos salutandasque.

(*) Praefectus Horti Cliffortiani?

3. Viro Clarissimo et Celeberrimo

D. D. JOANNI BURMANNO,

S. D.

CARL

LINNAEUS.

Ut me subjicerem nutui Tuo, editorem Florae meae Lapponicae agnoscere vellem, quemcunque proponeres honestum, intellexisti. Tu proposuisti D. Schouten, quem mihi antea placere minus probe intellexisti, et quem ego numquam assumsissem, nisi Tibi placere unice intentus fuissem. Nam quod alii dicebant me debere assumere istum, quem illi proposuere, erat mihi lusus puerilis et doctis viris indignus. Quaeso itaque scias et esto persuasus me Tuum semper fore dum vixero, nec imponas humeris meis quae ferre non sustineo. D^us^ Schouten promisit se omnia honeste acturum fore, et eum credebam non ab ipsius ore, sed te spondente. Procrastinata tamen fuit editio in tempus paschatos, et Schouten promisit se comparaturum typographum Lugduni, extra quam nullum agnoscerem, nec tamen ante ferias de hac re sollicitus fuit. Me itaque abeunte in praedium D^ni^ Cliffort adivi D^um^ Schouten et enixe rogavi, quod quam primum cum typographo conveniret Lugduni, ut ad me post duos tresve dies scribere possit, et ego Lugdunum peterem, ibi meum manuscriptum correctori traderem; epistolam itaque frustra exspectavi per sex dies, tum coactus petere Lugdunum, deposui manuscriptum, rediens Hartecampum misi litteras ad D.

Schouten et quaerebam cur me fefellerit, et quod cito responderet ad epistolam meam. Respondit mox se sollicitum fuisse de bona papyro (quam semper intellexi non fore optimam) acquirenda et ante haec egisse per litteras cum D^no de Grot, typographo Lugdunensi optimo, quem probe novi, ut ille opus imprimeret, et ut ego, quam primum posset, inciperem typum; accepto hocce responso cras petii iterum Lugdunum, dum iste de Grot ne per somnium umquam de libro isto audivit, adeoque derisus iterum abire coactus et cum risu reversus haec scripsi: heu qui mores, quae fides! Meum est opus, meus labor, mei sudores, meum iter, ego Simia non ero, sed tuus semper, quaeso condones servum tuum, qui vult et debet in omnibus te obedire, licet hic succumbat. Quaeso itaque et enixe rogo, concedas mihi agere in re propria mea quid velim, quod debeo, ne pilae instar lusoriae huc illucque agitent me, qui licet circumscriptus non sim, tamen quasi essem volo, ne Te laedam, ne contra Te unicum aliquid faciam. Dimittas tuum favorem pro D^no Schouten, vel mihi aequalem cum eo concedas et videbis opus, de quo optime promeruisti et in quo tua merita ut debui agnovi, brevi impressum. Vale cum honestissima tua familia et me ama. Rescribe. dab. Hartecampi. 1736 April. 12.

---

4. Viro Clarissimo

D. D. JOANNI BURMANNO,

Medico, Professori et Botanico Celeberrimo,
Fautori Optimo.

S. Pl. D.

LINNAEUS.

Literas vestras, ut et transmissum Thesaurum Zeylanicum per Dum Cliffortium habui, gratiasque summas pro summa vestra in me benignitate maximoque amore numquam non agam. Gratulor opus vestrum Zeylanicum, quod magni facio et faciam, tam feliciter procedere; nil magis me exhilararet, quam illud ad umbilicum perductum evolvere. Evolvi et transmissa, quae et raritate materiae, et tot raris obscuris, jam explicatis plantis, se commendavit; at doleo me non omnia, quae in usum vertere possem, tam cito excerpere posse, excerpsi tamen nonnulla videoque ubique Te amicum tuum animum erga me declarare tot elogiis, tot allegationibus, ut solum doleam, me in mutuis praestandis officiis vix parem esse. Si Tibi tempus supersit, quaeso adhuc semel evolvas hortum Malabaricum et conferas cum tuis citationibus, forte unus vel alter numerus inter errata posset corrigi, tantummodo quae ad paginas spectant. Scio quidem hocce nullius esse momenti et fere idem, si nulla pagina umquam allegaretur praeterquam auctor, tamen si tempus esset tibi sufficiens et hoc posses. Nomina generica, quae nova dicis me confecisse, sunt antiquissima Theophrasti vel Dioscoridis; tamen nova possunt

dici, quatenus non usurpata. Floram meam Lapponicam tarde processisse, dum in Anglia fui, et quidem mea culpa, doleo maxime, deposui apud correctorem omnia, cum autem ille, ut speravi abiturus, me per tres quatuosve hebdomades abfuturum, non perlegit plus quam istas impressas philyras, dein longe citius processit typographus, quam antea et corrector noluit tradere plura antequam mecum perlegerit; mea est causa, quod doleo, nec emendari potest, post haec non erit mea. Ego quantum potero pellam. 200 paginae meae sunt impressae et quod supersit; post haec potest procedere quo citius, eo mihi gratius, omnia sunt jam dudum scripta a me. Characteres mei fere octingenti sunt impressi, pauci restant. Exspectarunt et illi, sed post reditum citissime processerunt.

Vix dimittit D. Cliffort me post haec e domo sua ex Hartecampa; ille intellexerit procul dubio, nescio cujus mali spiritus afflatu, quod ego debeo petere Sueciam hac hieme. Nil dicit, sed tantum petit incipere impressionem, et tum debeo per dies noctesque laborare, cum integer fere liber consistat citationibus, ut Boerhaavii index, et quid temporis allegationes auctorum requirant, tibi dicere esset res superflua. Dein adglutinavimus jam plus quam mille plantas. Putat enim D. Cliffort, si modo incipiamus impressionem, tum non potest abire, antequam opus sit paratum, et ego scio, quod si incipiam, non possum abire antequam absolutum sit; ergo debeo ad minimum quatuor philyras omni hebdomade elaborare, describere et haec est res ponderosa, nam ad minimum constabit opus 60 plagulis seu philyris.

Ostendi D. Cliffortio, quod allegasti Musam ejus, quod dedisti ipsi elogium, risit lente, id est placuit maxime, dixit: hoc miror, quod de me aliquid faciat. Habui literas a D. Anton Jussieu et Siegesbeck Petropoli, quae tibi una proxime tradam. Quid scribit Michelii? sit ne ejus opus paratum? Saluta familiam, fratrem et fave tuo addictissimo servo. Vale.

Vellem videres elegantissimam istam *Piperis* speciem, quae jam apud nos floret. *Piper* non est *Saururus*, ut Plumier et ego quondam putavi. Examinavi *Saururi* flores plures vivos in Anglia, qui gaudent omni modo diversa a nostra fructificatione. Nostra gaudet eadem, qua illi in Horto Malabarico bene descripti. Floret apud nos *Jussievia* Houstoni. Floret *Phaseoli* mira species e Capite bonae spei.

Vidi tandem in Anglia florentes istas plantas, vel ejusdem generis saltem cum eis, quarum figuras tradis (*) tab. 6. fig. 2. t. 7. t. 8. t. 65, quae nec ad Alsine, nec ad *Galia* cum Hermanno, nec ad *Herniarias* cum Tournefortio possunt referri; cum *Galiis* nil affine habent praeter caulem verticillatum foliis; cum *Alsine* nil, cum nulla ipsis sint petala; cum *Herniariis* neque, a quibus differunt omnibus partibus. Gaudent enim calyce 5-fido colorato persistente, staminibus et pistillis tribus, capsula triloculari, seminibus pluribus.

Spero *Oro-orchidem* vestram florituram in nostro hybernaculo per hyemen, bene enim crescit. Est distinctum omnino genus et proxime ad *Marantham* Plumieri accedit, licet nec hujus generis, at proximi. Radices

(*) In Thesauro Zeylanico.

mihi placent et odore et sapore. *Bauhiniae* possidemus octo species.

Carpinum T. 23 vidi in Anglia viventem, at florem nuper examinavi; est novi generis planta. Mitto characteres istos quos apud me habeo, post 14 dies erit istud opus finitum; possis habere eos per duos dies, sed sane non per tres, debeo enim conficere indicem et errata typographica exscribere, quaeso itaque mox remittas.

---

5. Viro Amplissimo Celeberrimoque

D. D. JOANNI BURMANNO,

Medicinae Doctori,
Professori Botanices Publico,
Horti Medici Praefecto,
Nosocomii Publici Medico Practico,

S.

CAROLUS LINNAEUS.

Cum Lugduni eram de tuo praestantissimo opere plurima disseruit D. Boerhaavius, et ut sincere dicam, nec auribus tuis placere videar, *honorifice* de eo disseruit vir egregius, dixit et: nescio cur non placeat omnibus, ego nil vidi, nisi quod laborem summum redolet. Ego vero regerebam, facile esse cum mysterismo de alius opere verba dare, at manum aratro admovere hoc opus, hic labor est; praestet alius meliora et tum judicet. Dixi et prae me tuli, me flocci facere omnia judicia privata; det aliquis judicium publice et tum vel defendet vel revocet; placuit viro optimo, spondeo.

Sermonem et injecit de Flora mea, ubi aliquot ob-

servationes ejiciebam; interrogabat et quam longe cum ea processerim. Dixi me ultimi folii correcturam vidisse; promisi et ipsi primo quo prodiret die exemplar. A Te itaque, Fautor Aestumatissime, qui Amstelodami vivis et Editorem in manu tenes, velim istam mihi praestares, quam soles, gratiam et quam primum Flora impressa Amsteliam pervenerit, Editorem persuaderes, ut unicum mihi offerat exemplar, quod mox mittam ad D. Boerhaave, quo beneficio Te praestas, quem soles, meus. Doluit corrector meus, quod vix crederes, quae dudum correcta fuere, adhucdum impressa esse, quod summa est nequitia Typographi, quae ab Editore justo calamo excipi digna esset.

Audivi et varios de tuo opere disserentes, hos optime, illos parce magis: eadem fata et mea subitura dudum novi, sed qui scribere aggreditur haec ut praevideat antea necesse est. Quis fuerit umquam laudatus scriptor, qui non a suis despectus saepe? nec est Propheta in patria. Isti pueri nequissimi, qui jam ludunt in plateis, nostri erint justi judices. Non audivi virum doctum umquam alterius opera vili facere; ars non habet osorem nisi ignorantem; secula judicabunt. Qui non scripserit semper credit se esse doctissimum, nec vidit se ipsum antequam speculum paraverit absolutum, sic nec alii.

Literas habui a Scheuchzero, qui Agrostographiam scripsit, easque honestissimas simulque quatuor contra systema meum argumenta; ad quae respondere mihi facile est. Si haec sibi servasset soli, credidisset me rem maxime absurdam propugnasse.

Transmissas ab Hebenstreitio ante dies non ita mul-

tos habui ejus de conchiliis methodum, de antiquitatibus Africae, de convenientia Classium et virtutum; characteres ejus genericos etc.

Si quid novi habeas, quaeso et communices mecum, qui incarceratus monachi instar cum duabus Nunnis dies noctesque transigo solus.

Salutes dignissimam tuam conjugem, sociosque quotquot sint omnes amicissimae vestrae societatis. Vale.

Hartec. die Mercurii.

---

6. Viro Amplissimo Celeberrimoque
D. D. JOANNI BURMANNO,
Medico Amstelodamensium Expertissimo,
Professori Botanices Clarissimo.
S. Pl. D.
CAROLUS LINNAEUS.

Anxius diu fui de aegroto tuo statu, dedissemque dudum literas, si quid de Te novissem antea; sed si dicam, quod res est, ita obrutus fui per aliquod tempus, ut vix mihi cibi hora libera, multo minus somni, hinc omnium oblitus nil egi extra musaeum.

Quod promisi dabo, dum tempus quodammodo mihi sit, nec ullum scio cum istis nugis in mora periculum; ego non abibo a Te, antequam Tetemet vale dixerim, esto certus.

Commendavi tuum opus, ut debui, ubique apud amicos meos; et in Horto Cliffortiano ubicumque potui, qui jam ad dimidium impressus est. Consideres quem laborem! duae correcturae Amstelodami duorum ope-

rum, unica praeterea Lugdini; labor immensus et inexhaustus cum Horto et alterum opus, quod proxime prodibit; et figurarum ac descriptionum quotidianus labor. Hae fecere quod responsum dare amicis, ut debueram dudum, non potuerim; interim, si velis, da mihi responsum ad sequentia. Dominus Hallerus, apud quem commendabam Tua, desiderat tuum opus, ideoque si velles persuadere Editorem Tuum mittere duo exemplaria Gottingam, sum certus quod Gesnerus alterum emat et D. Hallerus certo certius alterum. Similiter petiere a me Russi, ut loquerer cum aliquo Bibliopola, qui vellet Petropolin mittere aliquot exemplaria Thesauri tui et meorum opusculorum; vel si quis esset qui divendere in se susciperet opera Siegesbeckii, tum ille in se susciperet divendere Tua. Ego neque responsum dare potui Ammanno, neque Siegesbeckio.

Valeas, faveas. Proxime habebis Criticam meam Botanicam, ubi rationem reddi nominum in Botanicis.

die Lunae. Maji 1737.

---

7. Viro Illustri

D. D. JOANNI BURMANNO,

Professori Botanices Celeberrimo

Practico apud Amstelaedamenses Expertissimo etc.

S. Pl. D.

CAROLUS LINNAEUS.

Mensis jam jam praeterlabitur a prima hora, qua desideratam patriam attigi. Per aliquot hebdomadas cum amica me recreavi, nuper vero salvus Stockholmiam perveni.

Plantas quas promisi quondam, in Belgio autem praestare non potui, jam collegi omnes, habebisque eas, excepta nulla, cum prima navi, quae hinc Amstelias vestras petit hoc ipso autumno, vel, si nulla discedat, primo vere, tam certo ac ego vixero; seposui omnes, restat ut numeros Florae Lapponicae addam. Si moram hanc benigne excusare velis, rem facies mihi gratam. In causa sum quidem ipse, sed non malevola ductus mente; speraveram me ante annum fuisse domi, aliter licet disposuerint fata; obligatus plantas plurimas aliis concessi, quibus quid denegare mihi religio erat; noveram enim ipse me tuum catalogum tibive promissum supplere posse, nec tantum interesse utrum mensis spatio prius vel serius eos obtineres credideram. Dum a Te ante annum discessi, plena mente abire in animum induxi ipse; quod permanere debui aegre ferebas, an juste? nolui itaque, sed horrui amicum antea tuum in me animum tum iratum adspicere, licet minus sufficienti causa ductum. Transeant haec, memor vivam semper tuorum in me beneficiorum, videbis me absentem tuum cultorem summum; quae promisi praestabo omnia.

Gratissimum dum vixero mihi nuntium erit tua, tuorumque valetudo prospera.

Ut itaque valeat tua familia nobilissima coelum votis fatigabo. Vivas diu felix.

Dabam Stockholmiae

1738

Octobris 11[a].

8. CAROLO LINNAEO

S. D.

J. B.

Laetus faustum in patriam reditum ex litteris tuis cognovi, desideratumque diu cum amica tua consortium, quam uxorem tibi brevi futuram ex animo voveo.

Plantas olim mihi sancte promissas, quas scribis nulla excepta pro me te collegisse, lubens, si ita tibi visum fuerit, exspectabo gratoque animo accipiam, miraturus undenam intra tam breve temporis spatium ex remotissima ac deserta Lapponia illas recuperare valueris; in patria enim tua ita obvias esse vix percipere potui, nec tam aegre tulissem tum temporis, si scivissem promissis te stare non posse, quam quum viderem aliis concessisse illa, quae mea jam essent et mihi illa denegare ac surripere religio tibi debuisset fuisse, quum omnia beneficia, quae in patria nostra obtinuisti, meo impulsu consecutum te fuisse apud omnes constat; omnia vero haec enucleare esset ingratum exprobrare animum, transeant itaque cum caeteris. Si memor mei vivas meorumque in te beneficiorum, erit, quo mihi gratuler, cultoremque meum simili observantia colam, quod non verba, sed facta evincant, ac re ipsa probent.

Novi hic nihil habeo. In plantis capensibus, quas per decades edere constitui, jam sum occupatus: octava jam earum imprimitur, duae restant, quae arbores illius regionis complectentur; si centuriam absolvero, quod hac hyeme praestiturum me posse confido, sufficiet

hoc opus pro hoc tempore, insequente vere, si Deus mihi vitam viresque largiatur, Rumphii opus aggrediar, quod an ad finem perducere valeam, tempus docebit, utinam modo opus esset haud ita pretiosum atque ob paucos hujus studii aestimatores non ita arduum; in magnis tamen voluisse sat est.

Caeterum valeas, uti ego cum uxore et familia quatuor liberorum, qui omnes pancratice valemus, meque vero amore ac favore prosequi perge.

Dab. Amst. 19 Novembr.

MDCCXXXVIII.

---

9. Viro Amicissimo

CAROLO LINNAEO,

S. D.

JOANNES BURMANNUS.

Accepi hodie litteras tuas acceptissimas 8 hujus mensis (*) mihi scriptas, ex quibus laetus cognovi te absolvisse Helleborines species, quas prima occasione cum reliquis avide exspecto, sed addas quaeso centurias (†)

(*) Doleo in chartis clarissimae Burmannorum familiae desiderari epistolas Linnaei scriptas inter annos 1738 et 1757; plures autem scriptas fuisse ex hacce Burmanni epistola patet. Has autem deësse eo magis dolendum est, quia continebant animadversiones Linnaei in icones plantarum Americanarum a Plumierio confectas atque a Burmanno Linnaeo missas.

(†) Cf. Amoen. Acad. vol. IV, p. 261—332.

binas cum novis tuis dissertationibus Botanicis reliquaque olim ac saepius promissa.

En *Wachendorffiae* semen maturum, cujus plantam vivam jam te accepisse autumo, laetorque tibi placere novum hocce genus; si vero in ejus charactere vel descriptione quaedam deteges minus recte dicta, libere id mihi significes, velim.

Inquiram in hortulanum, sique peritum conquirere potero, qui vestras petere velit terras, indicabo.

An Theae verae frutex olim in patria fuerit cultus, ignoro quum fructus nec flores ederit. Varii fuere frutices ejus loco ventilati ab Hortulanis; forte Breynius, qui olim cum patre hic fuit eamque descripsit, vera nobis dicere posset, cui data occasione ea de re scribam. Spero te tuas posse propagare floresque ac fructus observare; frigus enim satis tolerat.

A veterano Botanico nuper dono accepi cistam centenis aliquot plantis Orientalibus Hispanicisque repletam, quas olim Sherardus ex Smirna ipsi miserat, quaeque in Tournefortii corollario potissimum commemorantur; donum sane mihi quam gratissimum, quum hic ubique fere desiderentur, plures enim numquam antea videram.

Centuriam itidem exspecto plantarum Javanicarum siccarum; navis enim jam in Zeelandia adpulit; credo plures novas adfore.

Quum examinaveris Capenses siccas nuper tibi missas, communices, quaeso, nomina ipsarum, quae scis, generica juxta numeros adnotatos, quos in duplo servavi.

En iterum icones Plumierii; gratias ago pro illustra-

tione in ultimis tuis indicata; de reliquis sic pergere velis, etiam atque etiam rogo.

Valeas, mihi amantissime Linnaee, meque saepius tuis exhilara, qui moerore penitus obrutus sum prae contumacissimo et dolorifico charissimae meae uxoris morbo, qui nullis auscultat remediis, nec, vereor, subigendus erit. Iterum valeas cum suavissima tua conjuge et charissima familia.

Raptim 22 Aug. 1757.

P. S. Si imaginem tuam simul mihi mittere velis, quia cum taedio destituor, ut saepius te in musaeo cum reliquis Botanicis intueri possim, erit mihi gratissimum; ego meam renovare curavi, quam simul addam fasciculo sexto.

---

10. JOANNI BURMANNO
C. LINNAEUS. (*)

Pulcherrimas imo stupendas plantas tuas Capenses vidi et obstupui; primo die, quo accepi, eas pervolvi, examinavi:

(*) Hancce epistolam, sive potius epistolae partem, absque ulla temporis, quo scripta fuerit, indicatione inter litteras Linnaeanas repperi. Illam autem anno 1757 ad Burmannum datam fuisse concludo ex litteris, quibus respondit Burmannus d. 20 Sept. 1757. Praeter illustrationem plantarum Capensium, quas typis mandavi, in hacce epistola plures adhuc vidi numeros una cum nominibus plantarum Capensium, sed absque ulla ulteriori illustratione. Haecce autem, utpote Lectori nullius omnino momenti, data opera omisi, quod eadem ratione et in posterum faciam.

95. *Erica empetrifolia*, antheris 2-fidis inclusis, corollis ovatis, foliis quinis obtusis ciliatis.

85. *Osteospermum ilicifolium* Burm. Afr. tab. 65, foliis ovatis dentatis sessilibus.

56. *Osterdykia* est Decandra digyna.

103. *Geranium scabrum* Pluk. tab. 186. fig. 5? Calycibus monophyllis, foliis multifido-laciniatis scabris, ramis lignosis.

64. *Senecio purpureus* Breyn. tab. 67, corollis nudis, foliis lyratis hirtis, superioribus dentatis.

48. *Sophora biflora*, foliis simplicibus tomentosis, pedunculis bifloris.

93. *Phylica cordata*, foliis cordato-ovatis patulis, caule prolifero.

9. *Senecio linifolius*, corollis radiantibus, caule lanato, foliis ovatis obtusis, supra glabris.

6. *Erica physodes*, antheris bifidis inclusis, corollis globosis glabris, foliis quaternis linearibus glabris.

106. *Selago prunastri*, foliis lanceolato-linearibus sparsis glabris, spicis foliosis.

80. *Erica parviflora*, antheris inclusis, corollis subrotundis, longitudine calycis, foliis 4-nis ciliatis.

58. *Arnica caffra*, Burm. Afr. tab. 55. fol. ovatis dentatis subtus tomentosis.

Vellem lubenter assumere in numerum generum distinctorum et certorum tuam *Osterdyckiam*, sed nomen displicet, scilicet a medico, licet optimo, tamen qui ne quid contulit ad rem herbariam. Si hoc assumerem, es-

set contra propria mea principia; si excluderem forte tibi displiceret, quod etiam nollem; dicas itaque aliud nomen, quodcumque; ego certo assumam, vel si hoc nolis, ego non audeo recipere genus in seriem systematis, licet genus sit certissimum. Dicas ipse optimum consilium, et quaeso brevi respondeas.

Pro *Dracontio* et *Wachendorffia* devotissimam rependo mentem. Periere folia, sed radices perfectissimae sunt, ut sperem, eas me exhilaraturas.

Si velis nomina imponere novis generibus duobus, poteris mittere; nollem quod a viris diceres, nisi optime meritis.

Bone Deus quam multi rariores etiamnum ad C. B. S. sint flores et plantae. Quando veniet iste dies, qui omnes C. B. S. Genistas explicabit. Tu habes procul dubio omnes.

Inter hasce plantas Capenses passim mixtum erat Equisetum junceum nigrinodum Breyn. Cent. tab. 91, sed absque flore; si occurrat apud te cum floribus, quaeso mittas flosculum in epistola; rarissima et ignoti generis enim planta est.

NB. Nunc reperi, est *Schoenus capensis* Cent I, n°. 4(*).

(*) Sequuntur in nostra epistolarum MSS. collectione duae epistolae Burmanni d. 20 Sept. et 1 Oct. 1757, quae vero partim lectu nimis erant obscurae, partim vero etiam minoris momenti, quam ut huic operi addi potuissent.

11. Viro Illustri

D. D. JO. BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

C. LINNAEUS.

Accepi duas literas, ad quas respondere debeo.

Devotissimas reddo pro Medecina contra Haemorrhoidas coecas; convaluit quidem antea uxor, sed certus sum, quod brevi recrudescat malum, at tum adhibebo medicinam. Observavi hunc morbum a duplici causa oriri:

a spiritu frumenti usitato relicto et iterum in usum recepto; unde nostrates Theologi aliique plurimi;

a Coffeae potu, unde certissime habet uxor mea, adeoque per 2 menses destitit a suo nectare; sed ante mensem hausit semel, mox corripiebatur, sed levius.

Melissa spicata lavendulam spirans major. Ex habitu et calyce crederem esse, vel *Clinopodii*, vel potius *Ballotes* species, dicenda *Ballota foliis cordatis sublobatis, floralibus ovatis*.

Melissa altissima globularia habet singularem methodum fructificandi, sc. pedunculos laterales capitatos, perfecte uti *Mentha canariensis;* nec displicet sigma corollae; certe *Menthae* species erit; Tu judices num poterit esse varietas ipsius *Menthae canariensis* e loco calidissimo, cum sit *globulifera altissima*. Dicenda alioquin *Mentha fruticosa pedunculis lateralibus nudis capitatis globosis, foliis ovatis serratis*.

Misisti ad me descriptionem *Wachendorffiae* adeoque non possumus eam inserere Actis nostris scientiarum, in quem finem MSS. antea miseras. Debemus itaque a te V. C. habere aliam descriptionem pro Actis nostris; nec poteris ab ea liberari; sed haec reticebam et in publico conventu Societatis Regiae Scientiarum Upsaliensis d. 7 Novembr. proxima tuum elogium feci, ostendebam omnia tua opera et tu inter tres propositos solus omnium reportabas vota; reliqui pauca, adeoque discessere: ideoque licet mihi primus esse, qui te *Socium Regiae Societatis Scientiarum Upsaliensis* saluto; quaeso excipias amice. Dedit Soc. Regia mihi in mandatis hoc tibi significandi. Tu rescribas et dicas te obtinuisse meas invitatorias et eis accessisse.

Accepi pulcherrimum opus Regenfussii de conchiliis, vivis coloribus delineatum et descriptum a D. Kratzenstein professore Hafniensi; pulchrius opus non vidit orbis.

Accepi itidem Hales *Eden* Lond. folio, aliquot partes, quae prodire incepere cum nitidis figuris; sed Milleri icones tamen magis placent.

His vale et vive felix.

Dabam Upsaliae d. 8 Novemb. 1757.

---

12. Viro Illustri

D. D. JO. BURMANNO,

Professori Botanico celeberrimo

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Sub feriis hisce hyemalibus vitam egi admodum vagam.

variis itineribus ad amicos; nunc mihi ipsi redditus ad negotia et praelectiones academicas redeo.

De hortulano scripsi et benigne respondebas, sed accepi responsum, postquam assumseram alium candidatum Horticulturae per annum, qui suppleret munus hortulani, usque dum acciperem dignum. Si velit tuus ad nos accedere proxima aestate itinere navali, promittit Academia ipsi expensos itineris, quod ratum est in consistorio Academico. Spero te non nominare alium quam qui et honestus est et simul rite callet Horticulturam horti academici; in nostris enim frigidis terris necesse est, ut hortulanus sit versatissimus, nisi omnes plantae in cassum ruant. Non enim apud nos sufficit quod sit laboriosus, sed in sua arte doctissimus; apud vos enim Horticultura facilis est et mediocri hortulano perficitur; non ita apud nos, ubi per hyemis 2 menses vix uno die sol prae nebulis illucescit.

Mitterem ad te pecunias, sed mercatores nostrates praetendunt quartum quemque nummum ob *Wexel-Curs*, ut vocant, quod ita me excruciat, ut nescio quo me vertam. Si scires aliquem vestratum, qui deberet solvere pecunias Holmiae, ut ego ibi redderem pecunias, et tu ab eo sumeres Amsteledami, res facilius perageretur.

Duas jam in fenestra domus meae alo plantas tuas capenses, quae protulere scapum et intra mensem florebunt; una similis Ornithogalo, sed longissimis latis et recurvatis foliis est; altera facie Hyacinthi, sed latioribus erectis foliis; exspecto avidissime hosce flores. Quoties plantas intueor tuam in me gratiam in mentem mihi revoco.

Vidi jam Adansonii itin. Senegalensis tomum primum et Da Costae opus de lapidibus tomo primo. Prodiit systematis mei tomus prior; mittam primo vere. Opus mihi immensi laboris.

Accepi omnes conchas et cochleas, quae in mari Mediterraneo prostant, ita ut numerus conchiliorum meorum adscendat ad 500 species; si aliquando obtineas aliquot conchas in duplo, quaeso me earum participem facias.

Accepi MSS. Loeflingii mei e Cumana Americes cum pulcherrimis characteribus novorum generum et illustrationibus super genera Plumeriana e. g. *Cordia*, *Paullinia*, *Bauhinia*, *Guajacum*, *Parkinsonia*, *Malpighia*, *Muntingia*, *Clusia*, *Mentzelia*, *Anona*, *Bignonia*, *Barleria*, *Epidendron*, *Helicteres*, *Achras*, *Samyda*, *Spondias*, *Bontia*, *Breynia*, etc. et multa nova.

Upsaliae 1758. d. 10 Febr.

---

13. Amico et Benefactori suo summo

DD. JO. BURMANNO

S.

C. LINNAEUS.

Anxie exspectavi tua, imprimis ab eo tempore, quo ultimas tuas literas accepi; heri demum accessit fasciculus tuus, cum tantum inclusis tabulis Plumieri, nec aliud praeter fasciculum Royeni. Nescio quo me vertam, ut obtineatur fasciculus sextus, quem nulla ratione potui indagare, quamvis per amicos sciscitavi apud omnes Holmiae; utinam scirem, cum quo missus fuisset.

Accepi ante 3 hebdomades integrum Brownii herbarium, quod Londini emeram. Erat profecto stupenda collectio; in ea fere omnes Brownii plantae, forte 50 exceptis, sed non ultra 60, ab eo non nominatae. Potui in plurimis extricare fructificationem et videre, qua fide sua nova genera condiderat, quod videbis ex altero tomo systematis.

Misi cum Professore rei nauticae D. Ferner ad te exemplar tomi primi systematis; ille profectus est terrestri itinere ante aliquot dies per Hamburgum. Istum virum apud te commendo, ut innotescat vestris Mathematicis.

In collectione Browniana erat stupenda copia Filicum et Muscorum; hos parum novimus ex America. Multas Filices detexit Plumier; plures habuit Brownius; sed rarissime aliquam in duplo.

Curavi describere manuscripta Loeflingi, et parare ad typum, modo typographus sese offerat.

Specimina pl. javanensia forte erunt vulgaria, cum legantur ad littora, et accepi ejusmodi saepe, sed fere easdem ex India orientali; at Capenses majoris momenti sunt; ex Africa semper aliquid novi; misisti ultimo anno tam multas, ut gaudium inde lectum non ante vitam pereat.

Misit primo vere D. Royenus plura semina indica; paucissima germinabant; sed doleo, quod Murex iste Fl. Zeyl. non prodibat.

Vale et fave.

Upsaliae d. 16 Aug. 1758.

14. Viro Illustri

DD. JO. BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Equ.

Accepi demum cistam Plantis Capensibus divitem, et heri literas; pro utrisque devotissimam mentem testor. Inter Capenses variae erant rarissimae plantae; placebant imprimis *Cheiranthus* Commel, *Echium*, *Arabis*, *Dolichos*, *Loti*.

Numeri, nescio quo infortunio, erant minus rite dispositi; nec potui in hisce distinguere num. 4 a 9.

Quotquot potui extricare in sequentibus videbis.

N°. 58 erat quidem *Gnaphalium muricatum*, sed tabescens ob copiam pediculorum, quos *Coccos* vocant Entomologi; sed novae speciei animalcula et plane singularia.

Significes oro, data occasione, num etiamnum ad vos accesserit Professor Astronomiae nostras D. Ferner, vir honestus, qui secum ad te deferet *Systema naturae*.

Urges, quod nulla dona a me habuisti, cum tamen ego a te plurima; idque jure meritoque omni. Quod ad vivas plantas a te gratiose missas attinet, nequeo miser eas remunerare, qui nullas in horto meo possideo plantas, quas vester splendidissimus hortus non alat; habito enim in climate, ubi adversa omnia sub iniquissima

Flora. Utinam scirem me possidere unicam quam non haberes plantam, quam lubenter eam mox mitterem.

Quod vero ad plantas siccas attinet, forte possideam tot, ut potero pro singula a te missa singulam praestare. Si dicam, mihi tempus defuisse siccas, quas in duplo possideo, seponere pro unico filio et amicis, ridebis nec credes, tamen certissimum est. Studebo tamen hac hyeme seponere duplas, ut tibi satisfaciam.

Cogitavi millies omne commercium cum exteris seponere, ut semel mei juris evaderem, et uno ictu has curas dissecarem, quae me totum annum detinent. Si enim perpendo, quot horas in hoc consumsi, video quam parum profecerim et quod optima quaeque dies miseris mortalibus aevi prima fugit; et quod aliis inserviendo tempus perdidi. Sero sapiant Phryges.

Quaeso dicas mihi, ubi deponam tua exemplaria Plumeriana, non divendita, apud aliquem Bibliopolam, cum meum non sit facile mercatorem agere; vereor quod pereant tibi exemplaria aliquando cum meo fato. Hoc si liceat, mox reddam pecunias pro divenditis. Nequeo facile nova exemplaria divendere, quamdiu deficiat unicus fasciculus in ordine prior.

Quoties inspicio Centuriam tuam pl. Africanarum toties me rapit admiratio plantarum rarissimarum, et maxime omnium singularium, et optassem nihil magis, quam quod istud opus continuasses pluribus novis plantis. Figurae enim tuae propriae pulcherrimae, elegantissimae, suavissimaeque sunt, ut numquam de iis poterit Botanicus haesitare. Witsenii non omnes bonae sunt; sed imprimis van den Stell figurae minus arrident.

Sed ad Capenses tuas missas redeam:

80 *Echium glabrum*, caule laevi, foliis lanceolatis nudis, margine carina apiceque scabris. Pluk. *phyt. t.* 91. 341. *f.* 7. Echium afr. perenne lycopsidis facie. Old. Afr. — Echium afr. minus, fol. oblongis glabris flor. caeruleis. Herm. *Afr.*

75 *Diosma oppositifolia*, absque numero, qua Hottentotti pro emplastro.

Schoenus capensis, culmo tereti ramosissimo vaginato, spicis ovatis nudis. Breyn. *cent.* 91; tenacissimus pro vinculis.

6 *Mollugo verticillata Sp. pl.* 4 β. quam vidi esse *Pharnacei* speciem.

12, 13 *Erica aethiopica*, antheris bicornibus inclusis, corollis campanulatis, calycibus brevissimis, fol. quaternis linearibus glabris.

59 *Passerina sericea*, pulchre a te delineata.

31 *Rubus fruticosus?* forte ex Europa ad C. B. S. allatus, cum non reperiam apud authores capenses.

15 *Arabis capensis*, foliis linearibus, siliquis torosis. Herm. *Lugdun Batav.* 367, sed non reperio folia radicalia pinnatifida.

36 *Dolichos viscosus*, caule volubili angulato pubescente viscoso. Herm. *Lugd. B.* 493.

73 *Lotus aethiopicus*, leguminibus racemosis, foliis obovatis villosis, caule erecto suffruticoso.

20 *Lotus prostratus*, leguminibus solitariis tomentosis, foliolis acuminatis, stipulis minutis, caulibus filiformibus.

55 *Osteospermum pisiferum*, foliis lanceolatis dentato-serratis nudis, ramis angulatis. Burm. *afr. t.* 61. *f.* 2. Mill. *icon.* 194. *f.* 1.

24 *Phlomis nepetifolia*, nec possum hanc distinguere ab Americana planta.

58 *Gnaphalium muricatum*, cum coccis novis.

Senecio lanatus, corollis radiantibus, caule lanato, fol. ovatis obtusis integerrimis petiolatis supra glabris, etiam antea missus.

32 *Adianthum aethiopicum*, fronde supra decomposita, pennis integris rotundatis crenatis, petiolis capillaribus. Pluk. *Phyt.* 253. f. 2.

22 *Senecio linifolius*. Comm. *hort.* 2. t. 71, de quo antea dixi.

2 *Arctotis anthemoides*, fol. multifidis linearibus. Burm. *Afr.* t. 263 f. 2.

Gnaphalium stuposum, caule foliisque lanatis, floribus minutis aureis.

Quaeso scribas, quomodo valeat Domina uxor Tua. Quid jam Filius Tuus optimae spei?

Rediit juvenis discipulus, qui cum navibus Balaenarum captum inhiantibus vidit hac aestate Spitsbergam; paucissimas ibi plantas reperit, novas nullas, sed animalia maritima varia pulchra.

Quid agunt vestrates Botanici? quid apud vos novi?

Clercx edit tabulas phalaenarum vivis coloribus, Holmiae 4to, et delineat tantum antea non delineatas.

Loeflingii iter in Hispaniam et Americam a me nunc imprimitur.

His vale. Dabam Upsaliae 1758 d. 4 Octobr.

15. Doctissimo

CAROLO LINNAEO

(J. BURMANNUS). 28 Nov. 1758.

Ex litteris tuis septimo die hujus mensis ad me datis (*) percepi, tibi placere descriptionem plantae elegantissimae a me depictae, quae, licet a reliquis Ixiae speciebus sit diversissima, ad idem tamen genus pertinere tibi persuasum habes, quod non credidissem, quum in nulla parte conveniat cum reliquis Ixiarum capensium speciebus; fateor, quodammodo convenit more crescendi cum *Ixia punctata*, sed flos omnino differt cum tota ejus fructificatione, sique non aegre feras, ut ante oculos tibi proponam primo spathas tam singulares; nec non minus admiranda est floris corolla, cujus petala penitus revoluta, ad oras fimbriata, in medio elevata et quasi ventricosa, quae in *punctata* sunt aequalia, concava, glabra et erecta; stamina jam adeo subtilia, ut visum fugiant, et antherae, alius penitus formae, sub filamenti divisione ipsi stylo penitus incumbunt, ita ut adcretae, vel cum ipso nexae videantur, ne dicam de stigmate tam singulari! Fructus, quod attinet, penitus differt; est enim capsula elongata et acuminata, cujus axi medio semina adhaerent minutissima, quaeque tota spathis involvitur, quum in *punctata* specie capsulae sint nudae ventricosae subovatae et obtusae; si ipse florem examinasti, quem tibi liquori infusum vasculoque totum

(*) Epistola, quam hic memorat J. Burmannus, in nostra collectione non reperitur.

inclusum transmisi per filium Archiatri quondam vestri, puto et spero in meam sententiam te transiturum; ego saltem hucusque videre non potui, ad *Ixiae* genus pertinere, quodque ut tibi in posterum melius constet, hisce includam bulbum, quem nuper ex Cap. Bonae spei accepi; utinam et hic insequente aestate apud te floreat! Ne indigneris me aperte tibi meam declarasse sententiam, quum in tuam descendere nondum possim.

Nolim tamen te inferre vim naturae legibus, sed plurimi forte sunt plantarum caracteres, qui non ita differant et tamen singularia constituant genera. Judex itaque sis aequus et rem mihi declares, ut in ipso flore invenisti, sique eum diversum ab *Ixiis* inveneris, servetur, quaeso, nomen *Ferraria;* sin minus, sit *Ixia*, sed tum tecum possem communicare forte decem vel plures species Ixiarum Capensium; quae hic apud me floruere et adhuc florent, in quibus petala totaque fructificationis structura penitus est diversa(*).

Aveo scire, an nondum acceperis fasciculum, in quo exemplaria sunt Fascic. octavi cum novis iconibus pl. Plum., quae nono inservient fasciculo; si tuam sententiam de hisce mihi declarare velis, pergam in descriptione, ut novo anno imprimatur.

Gratias ago pro communicatione Geraniorum. Filius ipsorum species jam absolvit et, ni fallor, 70 distinctas

(*) Planta, de qua hic agit, cujusque ab *Ixiis* genericam distinctionem recte defendit Burmannus, videtur esse *Ferraria undulata* Burm. et L. Spec. plant. 1764, II p. 1353, sive *Ferraria punctata* Persoon Synops. I. p. 50, *Moraea undulata* Thunberg Fl. Cap. ed. J. A. Schultes 1823, p. 72.

producet et enucleabit, quas tibi aliisque Botanicis haud ingratas fore auspicor. Valeas porro.

---

16. Cl. LINNAEO

(J. BURMANNUS.) 16 Jan. 1759.

Ante paucos tandem dies splendidissimum obtinui Musaei Regii volumen, mihi gratissimum, pro quo devotissmas tibi reddo grates. Plerosque, qui in eo continentur, pisces nitide depictos servo, immo plures, licet nondum inter sese contulerim, tum et ranas, serpentes, quorum ingens quoque penes me est numerus, quibus, si tempus permittit, maxime delector.

En tibi; si non aegre feras ut tuo examini subjiciantur, icones quaedam Plumierii, sique tuam de iis sententiam, ut et ultimarum cum exemplaribus fasciculi octavi missarum mihi declarare haud dedigneris, rem mihi facies gratissimam, ut imprimendum curare possem fasciculum nonum, quum tempus jam urgeat, ut absolvatur; nil enim magis desidero, quam ut hoc opus ad finem fuerit perductum, quum fatum ac vitae terminus incertus nos homines saepe fallat ac praeveniat, qui orimur ut moriamur, quod in variis quotidie videmus, immo in validissimis corporibus, uti et praeteriti mensis die 22, si bene recordor, exstinctus est noster Wachendorffius, pluresque alii noti socii. Nil itaque certius quam mors, sed nil incertius, quo tempore, quoque modo, uti et Foederati Belgii Gubernatrix, principissa nempe Arausianensis, 12 hujus mensis itidem occubuit.

Plurimi in nostra patria grassantur morbi Rheumatici, quum nulla apud nos hucusque fuerit hyems, nec nisi imbres, ac quotidie vel ventus vel pluvia auditur.

Haud injucundum tibi fore autumo, si hisce includam tabellam specierum novarum *Geranii*, quae in filii dissertatione continentur; altera nondum absoluta est tabula, quae itidem eam ornabit; si nomina specifica, quae tibi competere iis videntur, juxta numeros communicare velis, filio rem facies gratissimam mihique. Vale.

---

17. Viro Illustri

DD. JO. BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

C. LINNAEUS,

Equ.

Habui heri nonum fasciculum Plumerianum, una cum duabus tabulis et plurima semina rarissima.

Ranunculus aquaticus asari folio est *Alisma cordifolia* Sp. pl., quam exsiccatam habui inter Brownianas, quamque Brownius in suo opere solam recenset. Flos habet duodecim stamina.

Pyrethrum aphyllum Pl. mihi plane ignota planta est, nec possum ex figura quidquam divinare.

Rauwolffia angustifolia illa ipsa planta est, quam vos habetis in hortis vestris.

Rauwolffia latifolia vix videtur ab altera differre, nisi foliis latioribus, non insueta varietate in regno vegetabili; at vero si rite pingat flores Plumierius, hujus

corollae non modo minores, sed et laciniis rotundioribus, quod magis differentem reddit plantam, quam e varietate exspectandum.

Pulchre in horto meo floruere :

Ixia crocata. Miller *icon*. 156 f. 1.

Ixia polystachia. Miller *ic*. 155 f. 2.

Gladiolus tristis. *Lilio-gladiolus*, Trew Ehret t. 39.

Antholyza Cunonia. Miller *ic*. 113.

Paspalum virgatum Sloan. *jam*. t. 69. f. 2.

Vinca rosea Mill. *ic*. t. 186.

Urtica aestuans, e Surinama.

Veronica sibirica Amman. *Ruth*. t. 4. diversa a *V. Virginiana*.

Conyza bifrons.

Alo nunc in Horto sequentia animalia:

Simia Jacchus.

Mus Porcellus.

Psittacus aestivus.

——— *Macao*.

——— *erithacus*.

——— *cristatus*.

Simia Sylvanus, cujus femina peperit filium, qui lepide adolescit.

Amoenitatem academicarum tomus quartus sudat et ad dimidiam partem impressus est.

Rectoris academici munere nunc fungor.

Kratzensteinii commentarium in pulcherrimas figuras Regenfussii super conchilia a Rege Daniae suppressum est et annihilatum.

Forskahlius meus adibit Arabiam impensis Regis Daniae.

Caeterum nihil novi in nostris terris. Vale et me porro ama.

Dabam Upsaliae 1759 d. 20 Julii.

---

18. Viro Inclyto

D. D. JO. BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Heri multo cum oblectamento tuas accepi; ex iis video te valere, et me amare.

Prodiit dudum tomus 2^{dus} systematis; adhuc sudat 4^{tus} tomus Amoenitatum, sed intra mensem exibit.

Laetor et avidissime exspecto aurea tua dona Capensia; institui in Horto scamnum s. pulvillum satis magnum, in quo tantum tua Capensia alo, quae me hoc anno prae reliquis plantis omnibus exhilararunt. Spero me intra annum obtenturum per virum doctissimum, qui adiit C.B.Sp., plantas et bulbos et Insecta Capensia. Exspecto tamquam coelitus demissos tuos bulbos Capenses prioribus addendos, cum suavius nihil in toto Florae exercitu obtingere queat.

An Basteri opuscula agant de plantis et animalculis submarinis? simile dedit in actis Anglicanis, et ad me quondam misit.

Magni Parentis dignissimo filio mea dicas officia sin-

cera; fausta ipsi quaevis apprecor cum summis, quos obtinuit, honoribus.

Nunc accepi pisces vivos aureos Chinensium et Ourang Outang, sive Hominem sylvestrem infantem.

Nunc vivis coloribus Insecta Ser. Reginae delineantur, edenda itidem vivis coloribus, stupenda collectione imprimis Papilionum Indicorum. D. de Geer elaboravit Scarabaeos pulcherrimis coloribus, quod itidem edere curat.

Apud nos caeterum nihil novi in rebus curiosis.

Vale et me porro ama.

Dabam Upsaliae d. 12 Octobris 1759.

Staphylodendr. lauri angustis foliis est *Ptelea viscosa Sp. pl.* 118. *Triopteris erecta fruticosa* &c. Brown *jam* t. 18. f. 1. *Carpinus viscosa* Burm. *Zeyl.* t. 23. Plumieri figura est eximia.

Spartium scandens fr. cristato et alato Pl. est *Securidaca caule volubili, foliis oblongis. S. volubilis Sp. pl.* 707 *n°.* 1. Brown, *jam.* 288.

Spartium alterum scandens, *fructu alato* est alia et nova mihi species *Securidacae*, dicenda *Securidaca foliis orbiculatis aveniis.*

Tabernaemontana est *Tabernaemontana citrifolia.* Conferas Hort. Mal. 1. t. 46, ubi siliquae minores sunt et flores majores.

Spartium scandens citri foliis fl. ad alas confertis, puto hoc esse meum *Hedysarum Ecastaphyllum*, *Syst. nat.* 2 *p.* 1169; *Ecastaphyllum frutescens reclinatum etc.* Brown. *jam.* 299 *t.* 32. *f.* 1.

Spartium portulacae folio aculeatum est genus quoddam naturale, cujus flores nondum perfecte innotuere,

quod dixi *Pterocarpum* in Mat. Med. pag. 184 et habet plures species. Vide Loefl. iter p. 147 et p. 168. Ad hoc genus spectat haec Plumieri arbuscula, dicenda *Pterocarpus*, *fol. simplicibus aggregatis obovatis avenіis*.

Hedysarum ecastaphyllum foliis ovatis subtus sericeis, petiolis muticis. Syst. Nat. 2. p. 1169. Habeo siccam.

Tithymalus linariae foliis angustioribus est procul dubio *Euphorbia polygonifolia* sp. pl. 455.

Thymelea frutescens rosmarini foliis est procul dubio *Tournefortia suffruticosa, foliis subincanis oblongis fronde comosa*. Brown *jam*. 170; quam Brown judicat synonymon Sloane t. 162. f. 2; haec vero nequit esse *Tournefortiae* species, quod ex calyce magno, quem pingit Sloane, judico, cum nulla *Tournefortia* gerat calyces majores, sed semper parvos, adeoque dicenda: *Tournefortia foliis lanceolato-linearibus confertis terminalibus caule suffruticoso*, cujus synonymon erit *Tournefortia* 5 Brown *jam*. 170, non vero Sloanii.

Tamnus racemosa minor mihi plane ignota planta; nequit esse *Tamnus*, cum gerat cirrhos; forte species *Smilacis*, cujus variae sunt species herbaceae, sed ex hac figura nulla ratione eruendae, an *Smilax herbacea?*

Tamnus anguriae folio. Haec planta procul dubio pertinet ad novum genus *Anguria* Jacquini, quod exinde judico, quod aliqui flores in figura sistunt duo stamina exserta. Synonyma difficile eruuntur, cum plures Cucurbitaceae plantae gerant folia palmata; si vero vocare lubeat hanc plantam *Anguriam foliis palmatis integerrimis, fructibus ovatis laevibus*, distinctissima evadet.

Avidissime aveo videre D. D. Burmanni *Gerania*. Ego quotidie elaboro tertium tomum systematis, qui lapides proponat, in quo spero me aliquid praestiturum.

Accepi *Simiam Jacchum* vivam; pulchellum animal. *Wachendorffia* foliis suis plicatis pulchre excrescit e seminibus a Te amicissime missis.

Utinam Tua navis brevi appelleret.

Vidi novam editionem systematis mei Leida editam, sed infausto sidere; omisit nomina trivialia, quod palmarium.

---

19. Viro Illustri

D. D. JOANNI BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

C. LINNAEUS.

Tuas iterum gratissimas habui, in quibus video Te feliciter ad finem exoptatam perducere stupendum opus Plumieri, de quo Tibi et orbi Botanico gratulor.

Si accedat Filius Tuus doctissimus, curabo ut lingua latina tradantur singula.

Accepi hisce diebus numerosa insecta e variis Europae partibus missa, quibus nomina imponam et secundum numeros adscriptos remittam, remanentibus apud me ipsis insectis; sic etiam crescit mea collectio insectorum in dies.

Tab. f. 1. *Viscum aphyllum, baccis aureis umbilicatis* dicendum *Viscum caule aphyllo, spicis trifidis*, forte idem cum *Visco parasitico geniculato aphyllo*,

ramulis compressis oppositis Brown *jam*. 357; Sloane *jam*.t.201.f.1, adeoque *Viscum opuntioides* Sp.pl.1023.

f. 2. *Viscum portulacae foliis, baccis croceis racemosis* Plum. *Viscum parasiticum ramulis verticillatis, foliolis obovatis trinerviis, baccis tridentatis* Brown. *jam*. 356. *Viscum verticillatum* sp. pl. 1023 dicendum *Viscum caule verticillato, foliis obovatis trinerviis obtusis*.

f. 3. *Viscum foliis buxi luteis, baccis niveis racemosis*. *Viscum foliis obovatis, racemis lateralibus* Sp. pl. 1023, sed varians baccis niveis, ut puto; nihil tamen certi statuo.

f. 4. *Viscum aliud racemosum, foliis latissimis* dicendum *Viscum foliis ovatis venosis, spicis axillaribus utrinque quaternis verticillatis*.

f. 5. *Viscoides baccis purpureis* Plum. Non esse *Visci* speciem patet e calyce quinquefido, sed cujus generis incertum, forte ignoti generis. Singulare est corymbis dichotomis. Plantam esse parasiticam vix dubium videtur, cum dicatur *Viscoides*.

Triumfetta est *Triumfetta Lappula* Syst. Nat. 10. p. 1044, frequens in Hortis europaeorum, in Horto Cliffortiano etc.

Urtica mas et femina. *Urtica foliis alternis cordatis, dentatis, caule arboreo aculeato, calycibus femineis baccatis*, forte *Urtica* 9 Brownii, cui folia ampla sinuato-dentata, nervis petiolis caulibus aculeatis. Quod flores pingat pluribus quam 4 staminibus forte ex pluribus flosculis masculis congestis oritur. Calyx femineus baccatus bifidus, ut in *Urticae* genere vulgo obtinet.

Prodiere dissertationes *de Flora jamaicensi*, *Pugillus plantarum Jamaicensium*, qui sistit compendiosas descriptiones rariorum plantarum Jamaicensium; de *Sue*; de *Generatione ambigena*, quod cerebrum et medulla spinalis cum systemate nervorum a matre, corpus vero ipsum a patre. *Nomenclator Botanicus* cum nominibus genericis Latinis, Gallicis, Anglicis, Belgicis, Germanicis. *Aër habitabilis* diaetetice. *Genera morborum* eorumque characteres.

Pergit Ser. Regina delineare suos Papiliones vivis coloribus, stupenda collectione.

Fausta quaevis cum novo anno Tibi animitus exopto. Vivas diu felix.

Dabam Upsaliae 1760 d. 1 Januarii.

---

20. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

Benefactori

C. LINNAEUS.

Liane Piquante Pl. mihi plane ignota planta, ex facie judicarem *Periplocis* affinem, licet folia sint alterna.

Au caragna Reich. planta mihi aeque ignota; ex habitu judicarem affinem illi Dill. *Elth.* tab. 123, fig. 149, quae in dissertatione de Flora Jamaicensi constituebat novum genus plantarum, dictum *Jacquinia*. Haec etiam planta habet fructum baccatum monospermum, forte ideo dicendum *Jacquinia caule inermi foliis lanceolatis*.

Innominata, quae *Schinus*. Videtur ex toto habitu esse *Schinus Fagara* n°. 4., nec repugnat structura fructus.

Ximenia aculeata. Sic est.

Xiphion flore luteo nigricante est *Iris;* sed *Irides* difficillime distinguuntur sine oculari examine, adeoque nescio omnino, quomodo differentia hujus conficiatur, ut rite innotescat; ex figura videtur ad *Irides imberbes* pertinere.

Vitis Abutili folio est *Vitis vulpina* Sp. pl., frequens Americae planta, in hortis nota.

Vitis folio subrotundo nana corymbosa. *Vitis foliis undatis integerrimis* dicenda.

Vitis hederae folio serrato. Dicenda *Vitis foliis serratis; foliolis oblongis serratis, caule angulato*.

Vitis trifolia minor nova corymbosa dicatur *Vitis foliis ternatis; foliolis oblongis serratis, caule punctato*.

De exantlato feliciter opere tibi et toto orbi animitus gratulor, quod tibi cedat in nominis numquam interituri memoriam et summum honorem.

Rescripsi ad tuas ultimas die 1 hujus anni, quas accepisse te nullus dubito.

Cum non habueram Tuas merces a meo ministro Holmia, qui in domo vectigali curat meas merces, et tu miseras ultimos bulbos sub involucro ad D. Dyben, ideoque scripsi ad eum; at vero ille apud Regem constitutus et nuper ad splendidum munus evectus non potuit respondere mox; tamen respondebat. Inclusas mitto ejus literas, ut videas navem non appulisse. Hoc doleo tamquam jacturam nulla fortunae vicissitudine reparandam. Doleo, et dum vixero doleo. Numquam videbo pulcherrimos flores.

Dabam Upsaliae 1760 d. 1 Februar.

Incepit nuper Bulbus quidam Capensis, olim a te missus, protrudere spicam, quae refert *Hyacinthum*, at folia ad radicem liliacea, sed singularia et quasi verrucis viridibus adspersa. Utinam feliciter perveniret ad florescentiam; similem antea vix vidi. Optarem esse *Hyacinthum* tuum *flore viridi, petalis caudatis.*

---

21. CAROLO LINNAEO

(J. BURMANNUS.)

25 Febr. 1760.

Ambas tuas egregias hujus anni epistolas justo tempore accepi, pro quibus devotam reddo mentem, gratesque insuper ago summas pro navata opera per communicatas tuas observationes in adornando Plumierii opere, quod tandem absolutum ac fere totum impressum est, cujus ultimum tomum proxima favente occasione mittam, in cujus praefatione meritam tibi tribui laudem, tanto Viro ac summo Botanico dignam.

Ultimae tuae litterae, ut puto, raptim sunt scriptae, quum ad varia argumenta in meis prioribus litteris memorata non respondisti. Desidero enim quam maxime ex te cognoscere, quonam mense conduceret filii mei adventus in vestram urbem, ut tuis aestivis interesse posset lectionibus, sique ita fieri posset, optaret ille hospitio frui alicujus Pharmacopaei in vicinia tua habitantis, ut subsecivis horis simul Pharmaciam posset exercere; unde, si talem potueris obtinere occasionem, arripias

eam quaeso. In itinere ipsi comitem dabo famulum hic habitantem, sed natione Suecum, qui optime linguam Suecicam callet, cujus prima elementa filius meus brevi incipiet addiscere, ne populo tuo penitus sit Barbarus et cum aliis etiam colloqui valeret, licet tam officiosus et gratiose obtuleris in ejus favorem lectiones tuas dare lingua Latina; pro quo tibi summo candore quam obstrictissimus est; quodque ipsi plurimum prodesse poterit.

Utinam tandem in manus veniat fasciculus autumno tibi missus, in quo filii mei dissertationes aliquot, nec non ingens numerus bulborum fere omnium meorum Capensium, quos in meo praedio per culturam adquisivi, ita ut denuo vix tibi tot subministrare possim. Adveniet tamen certus sum . . . . . . caet.

---

22. Viro Illustri

DD. JO. BURMANNO,

Benefactori

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Datas a te, vir amplissime, die 25 Febr. literas hodie rite accepi, ad quas sigillatim respondebo; in priori epistola forte raptim scripsi, multis irretitus negotiis.

Incepi cum mense Martii publicas et privatas lectiones, quas quotidie continuamus. In privatis doceo de Amphibiis, demum de Piscibus et Insectis et cum appropinquante vere continuabo cum Botanicis rebus, prout plantae et flores sese offerant.

Non sustineo scribere de bulbis Capensibus, cum istud infortunium me nimium moveat; nullus enim dubito, quin omnes bulbi perierint antequam in meas manus perveniant. Ferendum, quod non mutandum.

Ferraria tua hac aestate cum novis Actis Societatis imprimitur. Flores, quos generose misisti, attente observavi: petala ista undulata indicant quidem distinctum genus, ut et figura, sed est nimium affinis *Sisyrinchio;* sic stamina stylo insident ideoque non ausus fueram eandem inserere systemati; at dein melius rem ponderavi et plane convictus sum, quod queat sub distincto genere tradi et istam in appendice in tomo 3° proponam ex tua auctoritate (*). Habent et authores *Sisyrinchium palmae folio,* quod non novi; si haec tibi nota, quaeso me doceas, utrum ea ad *Ferrariam*, vel *Sisyrinchium* pertineat, vel generis sit intermedii.

Dudum praelegi observationem tuam de *Ferraria* omnium adplausu et conclusum fuit, quod insereretur tota Actis nostris tibique grates referrem, quod et, ni fallor, feci.

Bulbus iste foliis verrucosis non pervenit ad florem, nescio quo malo fato contabuit; quaeso dicas mihi, num ullus auctorum habeat hujus figuram.

Mihi nihil magis acceptum contingat, quam hic Tuum amplecti filium suavissimum, ut habeat hospitium curabo, modo scribas mihi certo quod adveniat, nec mensa ipsius crumenam multum emulgat, si poterit modico contentus esse, prout nostri mores et conditiones ferant.

(*) Cf. supra p. 29 et 30.

Laetabor si potero quidquam reddere ex iis omnibus, quae mihi praestitisti; et si ultra valerem, optarem pro filio meo aliquando V. D. vestras petituro terras, mutua obtinere amicitiae documenta. De his non esto sollicitus: tantum iter in hanc patriam ipsi oneri erit; utinam feliciter accederet; quo prius accedat eo melius; cum incipiam circa finem Aprilis theoretica Botanica et circa 22 Maji herbationes; interim quandocunque accedat ego cum ipso percurram necessaria omnia, quae mearum sunt partium.

Pharmacopolia sunt praestantiora apud nos, quam Amstelodami; sunt tamen apud nos in hac urbe tantum 2 pharmacopolae; remotius habitant a mea domo; nec potest aliquis apud eos habitare, cum omnes camerae dudum obtinere incolas. Curabo tamen, ut videat quidquid velit.

Vitaliani Donati infaustis avibus Alexandriam pervenit, ob nequitiam socii Roque.

Si habeas Cochleas vel Conchas; quorum nomina obscura, si filius sumat secum specimina, adscribam nomina secundum systema.

Non debes mei mentionem facere in praefatione, cum nihil praestiterim aliud, quam quod inter amicos solet.

Kalmii itineris tomus tertius prodit, sed lingua Suecica. Vale cum tuis, et amicissime salutes filium tuum.

Dabam Upsaliae d. 11 Martii 1760.

23. Experientissimo

D. D. BURMANNO,

filio Magni Parentis

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS,

Equ.

Nuper intellexi a venerando Patre Tuo, quod iter primo vere ad nos instituere velis; laetor ex animo, quod sic mihi concedatur reddere ea officia filio, quae nequeam Patri. Curabo sanctissime, ne quid detrimenti apud nos capias; neve iter Tibi frustraneum evadat. Cures modo, ne in itinere navali a frigore laedaris; esto itaque vestibus calidioribus bene munitus.

Poteris navi vel petere Helsingburgum (e regione Helsingorae) et inde itinere terrestri cum equo proficisci Upsaliam, quod iter facias 15 florenis; vel etiam cum navi Holmiam petere, quae Upsalia distat, ut Lugdunum Amstelodamo, commodo itinere unius diei, pretio ad summum 5 florenorum.

Sic apud nos permaneas in mensem Septembris, cum procellae non insurgant ante finem Septembris, cum *Colchicum* floreat.

Possis tum etiam tecum reducere plantas siccas, quas seposui pro Parente Tuo.

Si tecum sumas aliquas rariores siccas plantas indicas, studebimus eas enucleare, quas reducas ad Parentem; utinam vellet Tecum mittere aliquot Capenses plantas obscuriores, ut examinaremus, quas aeque salvas reduceres.

Etiamnum glacies tegit non modo lacus nostrates, sed et fluvios rapidissimos. Exspectamus intra 10 dies, quod terra solvatur et *Galanthus* prodibit, *Motacilla* adveniet cum *Tinnunculo* et *Rana*.

Si in Bibliopoliis vestratibus prostet Allionii lib. de stirpibus agri Nicaeensis, quaeso emas pro me exemplar.

Devota mea dicas Parenti tuo optimo, sit Tibi faustum ad nos iter.

Dabam Upsaliae d. 12 Aprilis 1760.

---

24. Benefactori suo

J. BURMANNO,

S. Pl. D.

C. LINNAEUS.

Valet filius tuus (N. L.) optimus et pancratice vivit, semper tranquillo animo, honesto et sincero. Laetatur pratis nostratibus, quotidie laborat nobiscum in omnibus partibus naturam spectantibus et promittit omnia, quae a juvene nobili proficisci possunt.

Ego somnio de plantis a Te missis.

Dies quo adveniant erit mihi omnium vitae meae maxime festivus. Capensia tot! Indica tot! ipsissima Pisonis! o Bone Deus, quam magna! quam stupenda!

Vive diu felix!

Ups. 1760. d. 18 Julii.

---

25. Viro Illustri
D. D. JO. BURMANNO,
Benefactori
S. Pl. D.
CAR. LINNAEUS,
Equ.

Discessit petiturus Holmiam, ante duos dies, filius Tuus eximiae spei. Quae potui ipsi praestare humanitatis et amicitiae experimenta non intermisi. Petii ante duos menses, quod eum apud nos relinqueres per hyemem; responsorium negativum tulit; nec miror, quod filii unici praesentia carere nequeas, cum solus in domo sedeas, defuncta conjuge, nec habeas aliquem, qui soletur, qui tempora fallat narrando et confabulando. At doleo, quod tam sero iter suscepit; breviores frigidioresque dies, viae profundae iter reddent omnium difficillimum, nec video qua ratione ultra Daniam iter instituat. Monui aliquando, quod prius iter institueret; hoc aegre, quod dolui, tulit. Abiere 3 Rutheni mei; sed recolligunt animum Holmiae et redeunt atque apud me tota hieme perdurant, meque audiunt; cum quibus percurram plerasque partes scientiae naturalis. Utinam ipsi Burmanno placuisset idem; sed ego nec ausus ulterius petere, nec ille se offerre. Opto itaque, ut sano corpore succedat iter, quod nequit non laboriosissimum et anceps evadere, cum se committere hyemali tempore pelago esset orci faucibus incurrere. Per Germaniam viae vix calcari possunt. Periculosum dein, tenebricosis simulque bellicosis diebus ibi proficisci.

Stupendas Tuas plantas Africanas pervolvi avide. Intellexi plurimas, sed sunt in iis aliquae parvae vix extricandae, nisi in vivis plantis. Miro modo variant hae plantae. *Othonna bulbosa* omnium maxime. Ad sua genera et suas species reduxi, quotquot harum plantarum potui.

Petii a D. Gronovio Jacquini plantarum Americanarum tractatum, sed responsorias non tuli.

Grates devotissimas reddo pro Gallinis pulcherrimis, quae egregie vigent et ova ponunt.

Grates itidem reddo pro Halecibus, tam prioribus, quam posterioribus, licet hae nondum accessere.

Misi cum filio tuo tomum 5tum Amoenitatem Academicarum et Diss. de flora Belgica (*).

Servet Te Deus incolumem.

Dabam Upsaliae 1760 d. 14 Octobris.

---

26. Amicissimo suo
Viro Clarissimo Experientissimoque
DD. NIC. L. BURMANNO,
S. D.
CAR. LINNAEUS.

Hodie tuas d. 26 Novembri datas habui, laetatus maxime fui, quod salvus accesseris Hafniam, tanto hoc magis, quo nuper a Dno Falk literas accepi, quibus indicat Te non accessisse, cum quaerat a me unde vel quo pervenisti.

(*) Cf. Amoen. Acad. vol. VI. p. 44 sqq.

Mox ac tuas accepi misi ad Tabellarium, qui respondebat, literas ibi fuisse, sed eas hoc mane a quodam, ex mandatis D[i] Momma fuisse exceptas; ideoque nullus dubito, quin rite pervenerint vel perveniant hisce diebus.

Nuper mihi e seminibus enata est planta illa, quae apud Feuill. *peruv.* dicitur *Hemerocallis Pelegrina*, quae forte inter primas hujus speciei in Europa.

De eis, de quibus mentionem fecisti in epistola, numquam mihi subiit cogitatio; numquam explico amicorum verba in malum sensum.

Mihi vix horam relictus fui per totum hunc autumnum; spero quod liceat sub feriis Floram Lapponicam examinare, ut eam prima cum nave mittere queam.

Opto ut brevi felix et sospes pervenias in venerandi Parentis Tui amplexus.

Regenfussii opus possideo, sed non descriptiones alias, quam quas dedit D. Kratzenstein.

Debitas Tibi refero, quod me apud D. Spreuglerum commendasti ad conchylia obtinenda.

Dabam Upsaliae 1760 d. 12 Decembris.

---

27. Cl. LINNAEO
(S. D.
N. L. BURMANNUS) 29 Febr. 1761.

Nuper cum domum reversus fuerim et multis licet incommodis interdum iter meum absolverim, ad Parentem meum salvus et incolumis redii, invitusque tempus diutius, propter sordidas vias et intemperiem aëris hacce anni tempestate peregrinatori minus faventem, protrahere

debui. In reditu et Hamburgi et in Bremensi urbe aliquot vidi naturalium collectiones, et praecipue quidem conchyliorum, quae prae reliquis hujus historiae partibus aestimari videbantur. Lubeci vero inter unum alterumque museum eminebat prae primis collectio D^ni^ Testorpii, (ubi Schreiberus aderat), qui promisit aliquot ex insectis vel aliis partibus ad Te mittere, quique mecum, uti omnes quibuscum conveni, amicissime agebat.

Pro omnibus praestitis, quum apud Te versarer, innumeras ago habeoque gratias. Salutare Te petiere D^ni^ Lambergen, Groningensis Professor, qui quam maxime aliquem petebat, qui Hortulani vice curam horti gereret meque rogavit, num aliquem ipsi procurare vellem. In hocce horto, uti et apud D^um^ Ouwens Franequerae praestantia vidi caldaria, ubi fenestrae superiores alio modo inclinabantur, et quidem magis inclinatae erant, quam in vulgaribus vulgo obtinet.

Accepisti jam dum sine dubio Floram Frisicam hortulani horti Franequerensis Meese, ubi pleraeque in Frisia nascentes plantae enumerantur, ut et expositionem characteristicam classis Compositorum ex prodromo Cl. Royeni enucleatam a D^no^ Le Francq van Berkhey, qui liber dissertationis titulo insignitus pulcherrima et circa hanc classem observatu digna continet. Nominatus hortulanus per duos annos jam dum occupatus fuerat in examinatione hujus classis, pluraque cum detegissit, et in chartam jam dum conjecisset, in animo quoque habebat ea brevi tempore in lucem edere. Nunc iterum laborabat omnium seminum cotyledones examinare et forma fasciculorum eas edere consilium habebat, quod credo fore opus utilissimum.

28. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

Professori Botanico

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Eq.

Ad litteras Tuas et omnium aliorum in hunc usque diem respondere non licuit; nunc mihi redditus primum erit Te salutare.

Hac aestate me inprimis afficiunt flores *Alstroemiae* s. *Hemerocallis pelegrinae* Feuill., qui omnium formosissimi sunt.

Belladonna humifusa parva et succulenta planta annua egregie floret floribus coeruleis, quam apud nullum authorem legi.

Mercurialis quaedam, simillima *annuae*, sed floribus masculis et foemineis in eodem caule verticillatis, quam neque apud alios vidi; nova ideoque, et ni fallor distinctissima; certe varietas non est; in Hispania vulgaris ad Gibraltar.

Lithospermum annuum *dispermum* etiam floret, misera, sed singularis planta; nec eam apud authores reperi; ex Hispania habui.

Gladiolus plicatus Breyn. *prodr*. 3. t. 9. f. 2. ex Tuis, hoc vere me egregie reficiebat suis floribus.

Moraeam Milleri, si noveris, quaeso florem siccum in litteris mittas, ut queam ejus characterem rite eruere; an habeas in horto?

Euphorbia terracensis quam, ni fallor, Barrel. *ic.* 833 pessime delineavit, floret, distinctissima foliis retusis, ut in *Euphorbia exigua* β. *retusa*, sed meae folia digiti longitudine et latitudine.

Halesia Ellisii mihi e seminibus enata est.

Parietariam lusitanicam hac aestate primum accepi.

Astragalum absque caule et etiam absque scapo, leguminibus perfecte *Astragali hamosi*, accepi e Russelii Aleppensibus.

Faunae Suecicae altera editio, quae mihi multum laboris constitit, jam ad finem perduxi.

An ullus in vestra urbe habeat, exceptis Papilionibus, alia insecta Capensia?

Inclusas quaeso tradas dignissimo Tuo filio.

Dabam Upsaliae 1761 d. 2 Julii.

---

29. Viro Experientissimo

DD. N. L. BURMANNO,

amico integerrimo

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Post tot exantlatos labores demum mihi ipsi redditus, primum erit Tibi V. Cl. gratias agere ob litteras d. 28 Febr. et 6 Aprilis; utrasque rite habui.

Meeses *Floram Frisicam* et Berkhey de *Compositis* obtinui; sed doleo maxime, quod nulla ratione mihi comparare potui Halleri *Orchides* et alium librum ejus, quem audivi eum edidisse de *plantis Helveticis*; quaeso

des mihi horum librorum titulos, loca et annos impressionis, ut comparare queam.

Scheuchzeri *Zizaniam* nec vidi, nec audivi; quaeso et ejus perfectum titulum mihi describas.

D. Forskahl parvenit dudum Massiliam, petiturus Constantinopolin; adeoque longe alio itinere Arabiam petit, quam primum sibi proposuerat; habui nuper ab eo litteras Monspelia, ubi vidit loca pulcherrima Florae; Famosum lucum Graumuntii, ab Hebenstretio tot honoribus cumulatum, pervestigavit, quem tamen copia plantarum cedere nostro Gotfundensi jubet.

D. Clercx, qui delineavit omnes Papiliones Reginae, jam etiam omnes aeri incisas dedit reginae vivis coloribus; ego propediem spero me obtenturum hujus exemplar, quod est pulcherrimum omnium librorum.

Pavones albas non aestimamus, at vero Gallinas lanigeras nigra carne, quod esset in hac patria miraculum.

Nil novi apud nos. Si Solander ad te veniat ex Anglia, eum magnopere commendo.

Dicunt te uxorem propediem ducturum; nescio unde hoc habuere nostrates Upsalienses; si ita sit, fac ut sciam.

Vale. Dab. Upsaliae 1761 d. 12 Julii.

Te maximopere salutat filius meus. An rite accessit *Peloria*, et viva?

---

30. Clar. et Nob. viro

C. LINNAEO, Sen.

S. D.

N. L. B. 20 Julii 1761.

Eodem, quo acceptissimae tuae litterae tradebantur, die ad D^num^ Balguerie miseram Gallinas lanigeras quatuor cum Gallo, Haleces et cibum Daventricum pro dulcissima mea Sophia, quae ut tibi bene procurentur spero; num vero omnes, quos miserim, nigra carne sint, dubito; de Gallo certissime scio, sed Gallinae, quae cum vulgarioribus uno loco continebantur, paululum degeneratae sunt, nec plures habebamus, exceptis duabis, quae pullos ducebant.

Clar. Halleri liber de Orchidibus vocatur *Orchidum Classis constituta*, loco ubi prostat non notato, nec etiam alterius libri, qui inscribitur A. Halleri *Emendationes et Auctuaria ad Stirpium Helveticarum Historiam*, ambo in 4to. Cum vero crederem primam hujus exemplaris, quod Cl. ille vir Parenti meo obtulerit, paginam nimia festinatione deficere, ab alio hujus rei melius certior fieri posses, nec scio, quod hic venalis prostet, alias libentissime mitterem.

Scheuchzeri *Zizaniam* videbo num pro Te recipere queam ab uno vel altero amico Leydensi. Est tantummodo descriptio et delineatio *Zizaniae*, quam dissertationi ejus de alimentis farinaceis subjunxit. Hanc spero tibi procuraturum; si vero non possim, modo scribas ad Cl. Gesnerum, a quo parenti meo commendatus fuit.

Miror, quod Catalogum illum Conchyliorum nondum receperis; 3°, si bene memini, Aprilis die D°. Balguerio tradideram fasciculum, in quo magna quantitas seminum melonum pro te, Dno de Geer et Hortulano horti regii una cum fasciculo 8vo pro D°. Salvio librario Holmensi, quem adhucdum debebam, et cibum Daventrieum pro filia tua, addideramque, cum tunc temporis ventus erat maxime secundus, tres Catalogos pro te, D° de Geer et Siervogel, praecipue eam ob caussam, cum multa insecta sicca, quae tu et Dnus de Geer praeprimis amant, intererant Surinamensia, quorumque possessor per plures annos adfuisset Surinamae, unumque aderat *Wenteltrap*(*), pro quo saepius 1000 flor. recusaverat et plura praestantia. Emi ibi aliquot marina, sed res domesticae non permittunt, ut collectioni Conchyliorum, quae quam maxime amarem, me tradam, cum carissimo hic vendantur pretio.

Ingentes et praestantes hacce aestate accepimus bulbos Capenses, inter quos plura tubera Geraniorum, quae jamdum progerminare incipiunt, ut et *Haemanthus ciliatus*, sed mirandum, quod pauci et fere nulli eorum, quos praecedenti aestate accepimus, floruere, praecipue majorum illorum, quod dolendum; floruit tamen nova *Geranii* species foliis *Acetosae*, floribus ab omnibus cognitis diversis, petalis linearibus carnosis reflexis, ut et altera foliis *tristi* similibus, flore albo et quoque maculato et plane carneo, quae tamen vegetandi modo cum *tristi* maxime conveniunt, et hinc pro varietatibus tantum habendae.

(*) Est *Scalaria pretiosa* Lam.

Hisce aceptis, accepimus iterum pulcherrimum Herbarium vivum Capense, ubi plura nondum visa intersunt, tercentarum ad minimum plantarum. Tentabo post annum unum alterumque Floram edere Capensem, ubi nil nisi figuras ex siccis speciminibus desumtas addam, si nunc velles specimina illa sequenti anno habere, quae in duplo possideamus, possem tibi transmittere; si remittas plantas, quas adhucdum a me domi tuae servas.

An jamdum vidisti Gerardi plantas e Gallo-provincia, liber nuper Parisiis editus in octavo, cum quibusdam figuris; *Ericetum* Royeni diu jamdum desideratum accipiemus, ut audivi, hacce aestate.

Gladiolus plicatus quoque hac aestate floruit, ut et *Moraea* Milleri, sed hujus corolla numquam fere aperta et mirae structurae fuit; semina pro te colligam et mittam, cum pessime siccetur, floret primo vere.

Dicunt et hic quoque me ducturum propediem uxorem; ego tamen nondum scio, verum est, quod plures viderim, quas forte accipere possem, multae vero circumstantiae examinandae et bene perpendendae, antequam negotium tanti momenti absolvatur, cum non per annum, sed, si fors ita tulerit, totam aetatem feliciter, vel infelicissimi transigere debeamus.

Floruit quoque alia *Gladioli* Sp., cujus petala convoluta quasi in spiram eodem modo, uti folia *Fritillariae* illius Capensis, sine dubio tibi notae, cujus bulbum ante quatuor annos accepimus.

31. Viro Experientissimo

D. NIC. BURMANNO,

Med. Doct.

S.

C. LINNAEUS.

Accepi heri Tuas literas, et, ante 5 dies, dum eram Holmiae, cibum ad uxorem missum; quod tamdiu Holmiae detentum, quum non liceat ejusmodi panes introducere. Accepi tum itidem Catalogos rerum naturalium, quae divenderentur.

Floram Capensem, si absolvere valeas, optimum praestabis opus. Adjicias Synonyma quotquot poteris omnia, sed caute in his procedas, et caveas, ne e varietatibus multiplices species, quae heic copiosissimae, si ullibi.

Ego meo Catalogo Capensi adscripsi 168 species. *Dias* singularis est, quam apud Te non vidi. *Zygophyllum coccineum* propediem florebit; utinam perficerit semina! Simillima est *Salicorniae*, sed foliis conjugatis.

Geranium peltatum et *tuberosum* optime hoc anno floruere. — *Menispermi* et mas et femina floruit. — Si posses extricare *Selaginem dubiam* bene faceres; novi certe generis planta, cum vere diandra sit. *Gramina* vix ulla *Capensia* mihi visa sunt. Nullus dubito, quin et ibi multa sint.

Gerardi plantas non vidi.

Accipies omnes species *Monadelphiae*, quae hoc anno semina dant,

Fahlunensis urbs tota conflagravit exceptis 8 domi-

bus; et hoc quidem incendium ter excitatum fuit. — Nebulo incendebat jam captus, qui hoc luet pro capite; sed non restituet. Matris meae uxoris domus perstitit, reliquorum affinium omnes conflagrarunt.

Non negavi semina quae habeo, si ea petas et si noverim, quae velis; si vero tibi taediosum evadat ulterius mittendi, mihi etiam erit.

Vale, devota mea dicas optimo Tuo Parenti.

Upsaliae 1761 d. 5 Augusti.

Faunae jam altera editio prodiit.

---

32. Archiatro Prof. Ups.

LINNAEO

(S. Pl. D.

N. L. BURMANNUS) 30 Julii 1761.

En descriptionem plantae Africanae, quam *Cheirantho* proximam dicerem; differt vero unguibus brevissimis, denticulis ad stamina et siliqua turbinata, ideoque putavi novum genus futurum; cum nunc solem prae reliquis tetradynamistis quam maxime amet, credidi nullum convenientius nomen futurum, quam *Heliophila* ex graecis compositum, cum, uti mihi apparet, potius eligendum nomen plantae, ejus indoli conveniens, quam viri cujusdam praeclari, quod non semper adeo placet; praesertim cum nullus Botanicus mihi notus sit, qui scriptis adeo praeclaruit, qui non habeat novae plantae nomen, aliis supervacaneum et medicis absurdum, ex tuis fundamentis.

Si velis hanc descriptionem Societati Upsaliensi communicare, gratissimum faceres officium, daboque insequentem quoque descriptionem speciei *Simiae*, novae, postquam percepero, quod membris non ingratum fuerit, hasce recipere et forsan aliorum nondum descriptorum in posterum animalium, quorum copiam adhuodum servat nostra patria. Si possideas et velles mittere aliquot Americae semina, exorarem praecipue eorum, quae per Solandrum Londino receperis, cum ea inter rariora crederem, possesque una cum fasciculo plantarum siccarum mittere, tunc ego remittam Indica, si desideres, aliaque. Enixe quoque expeterem fruticem *Nitrariae* et stolones quosdam *Dodecatheon*, cum quam maxime car. Parenti placeat, unicumque habuerimus plantulam, quae periit, addasque quaeso *Rubum arcticum* et *Tulipas sylvestres*, quae omnes periere.

L'Admiralii liber, cujus tabulam transmitto, constat 36 fl. Holl., vel majori charta 56; apud eum vidi pulcherrimam *Cerambycem* indicum fuscum fascia alba, cujus figuram in posterum transmittam addamque descriptionem, sed, quod maxime mirandum erat, elytra, quae longitudine corporis, ornata erant prope exortum duobus spinis, in medio vero fasciculo plumoso nigro apice albo.

Accepimus in horto novam *Phytolaccae* speciem. In praecedente scripsi, quod floruerunt in praedio novae quaedam *Geraniorum* species floribus albis foliis pinnatifidis linearibus etc.; ut et floribus carneis, fol. *Acetosae* similibus etc., sed nunc mihi enata est pulcherrima et nova quaedam *Geranii* species, cujus foliorum figura,

ut satis accurate delineam, adeo mira est, ut verba deficiant, quibus mentem meam clare et distincte explanare possim; folia enim sunt opposita, plerumque petiolata trifida, subpinnatifida laciniis linearibus bifidis, sed cuique petiolo adsidet alterum foliolum sessile, uti tibi consideranti patebit et in viva planta valde erecta et quasi contracta sunt foiia. Flores *flavi*, quorum calyx admodum reflexus. *Corolla* papilionacea, vexillum dipetalum oblongum erectum. Ungues conduplicati, longitudine calycis.

Alae ovato-oblongae concaviusculae, obtusae, breviores vexillo, carinam includentes, apice conniventes. *Carina* inferne gibba, alis duplo latior, longitudine alarum.

Stamina carina inclusa, pistillo breviora.

Pistillum longitudine carinae etc.

Florere incipit nova quaedam, cujus calyx, operculi instar, claudit superiorem partem corollae, sed quae nondum aperta est; hujus florem quoque mitto, est ex bulbis illis majoribus, quos praecedente anno accepimus.

Floruit quoque, sed unico tantum die, quo non ante vespertinum tempus praedium accedebamus, singularis plantula, quam ab amico quodam ante quatuor annos sub titulo *ex India occidentali* accepimus, cujus folia linearia sesquipalmaria in spiram convoluta, flores sessiles monopetali, quorum tubus longus (et quidem trium circiter pollicum), albus, limbus sex-fidus segmentis linearibus tubo dimidio brevioribus, altero latiore rubicundo; antherae flavae contortae; sed flos fragilis et marcescens non tam rite examinari poterat, quod dolebamus.

Inter siccas *Geranii* species pulcherrima et plane nova missa fuit, calycibus monophyllis, caule fruticoso, foliis ovalibus tomentosis; flores *inquinati* instar, sed minores, magis rubri, petioli foliis triplo longiores.

Mox accipio litteras tuas ad me a te datas.

Gratum mihi est, quod scribis me in flora Capensi addere debere Synonyma, quod non fecissem, exceptis illis, quae tabulis expressae fuere, et hanc quidem ob caussam, cum crederem Synonyma, quae veteres plantis addidere, saepissime adeo fallacia esse, ut uni eidemque plantae addi possent nulliusque usus. Si aegre non feras in sequentibus, nec ingratum erit, cogitata quaedam tecum communicabo, non vero censere debes, me hasce quaestiones movere, ut errores (saltem ut puto) tibi demonstrem, nam haec mea sententia non est, et tum melius foret tacere, sed tantum ut videam, quid tibi de hisce videatur. E. G. *Wachendorffiae thyrsiflorae* in systemate adscripta fuit Breynii figura ex prodromo, quae potius conveniret cum *paniculata*, cum qua optime convenit, quoad radicem, modum crescendi et florendi, ut in maculis ad petala apparet etc.; cum radix in *thyrsiflora* magna tuberosa vegetandique modo multum differat.

Wach. villosae adnotata fuit figura Breynii ex Cent. cujus siccum habeo exemplar, sed toto coelo differens; folia enim fig. Breynii sunt plicata, ut in *thyrsiflora* et modus florendi, cum in meo exemplari flores corymbosi quidem, sed folia plane lanceolato-linearia. Quid tibi de hac re videtur? an nova, an vero omittendum Synonymum Breynii, respondeas quaeso super haec; si non displiceat, plura notabo.

Dias pulcherrima. Vidi apud Royenum, sed nesciebam esse Africanam. *Menispermum* fructus hic numquam perficit, sed quotannis floret. Gratulor quoque, quod scripseris de graminibus Capensibus, curabo, ut accipiam sequenti anno, si non semina, saltem specimina sicca; plura ex India accepi, sed numquam progerminant. Exspecto quoque altero anno florem *Nucis Myristicae* et *Theae* verae exemplar siccum.

An quoque descriptioni *Heliophilae* addendum Synonymum Tourn: *Leucojum*, si bene memini, *africanum coronopi folio*, quae sine dubio varietas hujus erit. Scripseram, quod taediosum foret, mittere, si nulla recipere possem semina, quod et adhucdum scriberem, non vero si modo pauca quaedam, quorum quantitas tibi est, remittere velis, uti ex litteris cognosco. Omnes domi tuae salutes, quaeso, uti omnia prospera tibi apprecatur atque salutat Cariss. meus Parens.

---

33. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

Professori Amstelodamensi

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS,

Equ.

Ante biduum accessit iterum novum tuae liberalitatis in me documentum et donum, scilicet Haleces et Gallinae. Haleces ob moram in navi non nihil acescebant; Gallina una perierat in navi; una quam primum accessit;

una aegrotat; sed laetor, quod Gallus et una Gallina valeant, licet valde macrés. Omnem adhibebo operam ut vivant. Fuere mihi gratissimae et desideratissimae. Pro omnibus et singulis maximas Tibi refero gratias.

Fac ut sciam, num iterum duxisti uxorem et quando? qui valeas? caetera.

Cum totidem ad me missisti bulbos pulcherrimorum florum, ego remittam ad Te plantam liliaceam floribus certe pulcherrimam. Semina hisce diebus mihi maturuere e primo flore, quod obtinui. Plantam dico *Alströmiam* a D. Alstroemio, qui in Europa vidit primum florem et praeterito anno semina misit. Radix evadit tuberosa. Caulis refert caulem lilii, sed vix pedalis evadit; omnia folia sunt resupinata, ut pagina inferior sursum verget. Flores figura referunt *Hemerocallidem*, sed ex albo, luteo et purpureo pulchre variegati. Crederem, hanc apud vos sub dio posse germinare, posses tamen eam servare primo anno in olla. Retineas hanc Tibi, nec des alteri. Semina omnium recentissima et optima, ut, si non germinent, Tu ipse in culpa eris.

Crepis Dioscoridis; quam nunquam vidi, antequam hoc anno eandem copiose habui, quamvis Europaea annua planta.

Servet Te Deus diutissime incolumen.

Upsal. 1761, d. 10 Septembr.

---

34. Carissimo

DD. N. L. BURMANNO

S.

CAR. LINNAEUS.

Datas d. 18 Augusti rite accepi, una cum inclusis speciminibus, omnibus imperfectis et mutilatis. Promisisti mihi dignum specimen *Cyanellae;* misisti duo, ambo imperfecta.

Flos inclusus erat *Martynia annua.*

Geranium fl. luteo. De eo nihil dicere possum, cum mutilatum erat; ego itaque divinare nequeo, num fuerit *Ger. rapaceum* vel aliud.

L'Admiral tabula erat certe pulcherrima; doleo, quod pagina ipsi non erat adscripta, quo eam allegarem. Continebat *Pap. hyperanthi* et *Phalaenam fuliginosam.*

Phytolaccae Te habere novam speciem credis, nobis sunt 3 species vivae: *Ph. decandra, octandra alba* et 18-*andra rubra.*

Heliophilae Tua descriptio videbatur bona; nescio, num denticulus in staminibus brevioribus sufficiat pro novo genere, ubi habitus convenit cum reliquis *Cheiranthis.* Planta nota est ex *Horto Lugd.* Herm. p. 365; characterem et novum genus ego non assumerem facile, nisi viderem. Blomii specimen erat adeo imperfectum, ut inde nihil certi.

Ferraria optimi parentis Tui erat aeri incisa, cum ad nos Act. Nat. Curios adferebantur cum eadem observatione, quo nostri socii mox dedere mihi in mandatis observationem et figuram delendi.

Wachendorffias quaeras ab o. parente Tuo; ego eas non vidi, sed secutus mandata Parentis.

Reaumuria floruit in horto, unico tantum flore; nescio, num semina perficiat; habuit nectaria valde singularia.

Accepi 50 Pisces diversos ex America septentrionali; numerosa semina; *Azaleam odoratam* et *Irisoniam* (*) vivam; qualis sit *Irisonia* ante quam floreat, non scio. Accepi etiam 40 species bulborum e Cap. B. Spei. Semina *Rubi arctici* et *Chamaemori*, *Ledi*, *Linnaeae* et *Vacciniorum*, crede me, numquam germinabunt. Nequeo plantas habere in horto, quamvis ubique vulgatissimae. Clercxii tabulae prodiere unico exemplari, quod dedit S. Reginae; plura conficiet; pulchrius opus non vidi.

---

35. Clarissimo

DD. N. L. BURMANNO,

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Ante mensem circiter habuimus semina a te missa; sero accessere, ut vix hoc anno ab iis proficiam; serui e singulis nonnulla; ista incepere egregie germinare, et eo demonstrarunt te misisse recentissima, pro quibus jam devotissimas persolvo.

Heliophilam tuam, quam non ausus fui pro novo genere assumere (§), e Cap. B. Spei habui. Floruit hoc

(*) Quid? — Vox in epistola autographa lectu difficilis.

(§) Cf. supra p. 64.

anno egregie, sed modo unicam siliquam maturavit; vidi tum propriis oculis, quod posset, et deberet sub proprio genere militare; adeoque proposui eam in Speciebus plantarum, quae nunc sudant, sub *Heliophilae* nomine; adjecto tuo N. L. Burmanno. Citavi etiam in *Geraniis* ad singulas species tuum nomen. Prior tomus jam absolutus est Specierum plantarum, et prodiit.

Fac ut sciam, quid novi apud vestras Floras. Devota mea dicas magno Parenti tuo.

Audio D. Gronovium decessisse. Ejus novam *Floram Virginicam* nondum vidi, uti nec Gouani, nec Gerardi; Jacquini vero accepi.

Inclusa semina sunt *Athamantae Libanotis*, sub dio serenda, et facile germinant.

Vale, Amicissime Burmanne.

d. Upsaliae 1762 d. ult. August.

---

36. Archiatro

D^{uo} CAROLO LINNAEO,

(S. D.

N. L. BURMANNUS) 23 Octobris 1762.

Acceptae fuere litterae, quas ultimo Augusti die ad me dare volueris, ex quibus omnes domi tuae bene valere laetus accepi; miror vero, quod semina per D^{num} Balguerie tibi procurata tam sero accesserint, cum mense Martio cum prima navi abhinc missa fuere, putabamque, quod jam ante Maji mensem tibi tradita fuissent.

Heliophila haec anno ex satis seminibus, quae tamen praecedente anno matura collegeram, quaeque et tibi

miseram, nulla provenit; plura tamen rariora hocce anno floruere, ut *Helicteres*, *Hebenstreitia*, *Cerbera*, provenitque ex Indicis seminibus *Datura* flore flavo, caule maculato purpureo, quam Parens numquam vidisse dicit, sed quae nulla matura produxit semina; habuique omnium pulcherrimam novae *Zinniae* speciem, vel saltem varietatem, foliorum forma et crescendi modo cum *Z. peruviana* convenientem, multitudine et colore florum maxime diversam; coloris enim ex coeruleo purpurascentis flores a mense Majo ad hunc usque diem elegantes producentem, ultra centum in singula planta, sub dio transplantatam, quae tepidario sata fuerat.

Bis pulcherrima jamdum habuimus semina ex Aegypto a domino Prof. Forskäl, Danici Regis jussu Parenti meo procurata, inter quae plurima nova genera, nuperque scripsit ex Cairo, se tertia vice per mercatorem transmisisse, quae tamen nondum allata fuere; miramur, quam accuratus sit in definiendis notis specificis, quam peritus in distinguendis, speramusque ejus itinerarium latina lingua proditurum fore, quod plurima nova et huc usque ignota continere debet; adibit in reditu Caput bonae spei, literasque commendatitias dedit carissimus meus Parens ad Gubernatorem, quae omni humanitate ejus indolem, quae Hafniae imprimis mihi apparuit, optime declarant, quodque tantummodo Historiae naturalis caussa illuc advenerit, nec dubito, quin omni honore, ut meretur, ibi recipietur, Gubernatorisque amicitiam experietur.

Salutat te dominus de Gorter, olim discipulus tuus, qui, ut tibi absque dubio notum, Petropoli redux, in urbe

Wyk (*) habitat, qui hic Amstel. per aliquot dies moratus, saepius me adiit, Botanicenque maxime amare videtur; vernali tempore in animo habet per Sueciam Petropolin, per aliquot menses adire, teque in transitu videre exoptat.

Ante quatuordecim dies habuimus quemdam Suecum, nomine Engeberth Jörlin, mihi antea incognitum, qui Gothoburgo Hafniam ante annum et vice versa profectus, et a te missus, tandem ut Caput bonae Spei vel aliam provinciam attingeret, huc quoque appulit; per mensem moratus fuit, tandemque rebus ingestis in Sueciam rediit; visis litteris et instructione, quae manu tua exaratae erant, tantum laboris, quantum potuimus, impendimus, ut illum adjuvaremus; adivi multos mercatores, Parensque meus hac de re cum Consule Indicaeque Societatis Gubernatore collocutus fuit, cum vero non tantum liber transgressus, sed quoque munus quoddam, unde viveret, quaerendum esset, tam brevi tempore ea impetrare haud potuimus.

Litteris vernali tempore inclusa erant sex semina, ex quibus nullum nisi *Bromus polystachyon* provenit, acceptumque faceres, si mittere velles *Geranium althaeoides, Nitrariae* semen, *Dodecatheon Meadii* et *Alstroemeria*, quibus caremus, sique rariora quaedam imprimis Monadelphistarum addere velles.

Hisce includo novae *Amaryllidis* florem, quem nullibi depictum invenimus, spatha multiflora, cor. linearibus undulatis reflexis, petalis duobus inferioribus genitalibusque declinatis, quae cum tua *Am. reginae* de-

(*) *Wyk by Duurstede* prope Trajectum ad Rhenum.

scriptione quadrat, minime vere cum figuris citatis convenit, possetque facile *Gloriosae* characteri adjungi, nisi flos esset superus, ob reflexa et undulata petala. Addidi quoque *Antherici* novam speciem, si sub hocce genere militat, et *Ixiae* florem colore virescente, unguibus coeruleis, an nova species, an varietas *Ixiae albae?* Enata quoque est nova *Geranii* species, cujus folium hic mitto, sed quod non determinare scio, an distinctionis loco posset describi foliis difformibus; cum initio cum erumpant, habeat folia ovata, tum auriculata, tum triloba, tum incisa saepe ab uno latere tantum, tum denique pinnatifida, petalis linearibus, reflexis, rubris, pedunculis multifloris. An jamdum Arduini specimen vidisti et Allionii Pedemontana, Gmelini otia Botanica vel illustrationes in Royeni prodromum, Schaefferi Botanicam expeditiorem etc. quae hacce aestate prodierunt.

Valeas vir amicissime, omnes domi tuae mei amoris et aestimationis certiores facias, quaeso.

---

37. Demonstratori

D^no^ CAROLO LINNAEO,

S. D.

N. L. BURMANNUS (23 Octobr. 1762.)

Propositum, quod in edendis rarioribus Horti Upsaliensis, habere mihi videris, omnibus Botanicis admodum gratum esse debet, eoque magis, dum audiunt hocce peractum a filio principis Botanices, per totum terrarum orbem noti, optoque ut felici cum successu in-

ceptum absolvas opus sicque ex meritis Linnaeorum fama factis extollatur (*), semperque perennet. etc. etc.

---

38. Viro Clarissimo

D. D. N. L. BURMANNO,

S. Pl. D.

C. LINNAEUS.

Hodie habui tuas, V. C., vere botanicas literas, pro quibus plurimas grates tibi reddo.

Avide exspecto proximam aestatem, ut videam *Zinniae* novam speciem, quae erit sine dubio speciosissima.

Utinam non intermisisti probe delineare novam *Daturae* speciem; an observasti in germine num fructus sit aculeatus, vel saltem verrucosus? Semina *Geranii althaeoidis* et *Alstroemeriae* habebis; *Nitrariae* baccae fuere ab avibus lectae, sed posses habere vivum fruticem, cum facile propagetur ramis desectis, ut habeamus, quotquot velimus. *Dodecatheon* raro fert semina, et ista vix germinant, sed plantas habemus copiosas. *Amaryllis* tua nova proxime accedit ad *Am. reginam*, sed petala in tua sunt magis angusta, vid. in figura Herm. *par*. 1. 194 et Mill. *ic*. 24, sed, non visa viva planta, nil possum decidere. Ad *Gloriosam* nulla ratione referri potest, cum flores e spatha prodeant, et superi sint.

Antherici tua species inclusa floribus parvis violaceis est *Ixia scillaris* Sp. plant. II. p. 52.

(*) In Sigillo Linnaei leguntur verba »*famam extollere factis.*"

Altera cum floribus pluribus fulvis est *Ixia crocata*, ibidem. Vide Mill. *dict.* t. 156, f. 1.

Ixia autem illa tua corollis flavis, basi fusco maculatis, mihi non nota est.

Geranium difforme tuum est valde singularis species. Allionii stirpes Pedemont. et Hist. Taurinensem accepi. Gouani Hortum monspeliensem etiam accepi. Schaefferi Botanica expeditior mihi non visa est ultra unicum folium, quod indicat eum compilatorem esse, nec ipse sapere.

Arduini Flora Gallo-provincialis nec mihi visa est.

Gmelini otia botanica non audivi nominari; Halleri emendationes neque vidi.

An posses commutare mecum Gerardi, Arduini, Halleri pro speciebus plantarum? An non posses in literis mihi mittere specimen siccum *Zinniae* tuae, vel eam insererem systemati cum honorifica tui mentione. Hisce diebus in mea fenestra incepit nova *Eupatorii* americani species florere, distincta foliis alternis dentatis.

Vellem, quod legeres meam dissertationem de fundamento fructificationis, quam nuper edidi. An licet per tabellarium mittere? Si venerandus tuus parens habeat *Utriculatam*, quaeso, mittas mihi spicam unicam in literis. Si illa sit diversa a mea, meam reddam, perfecto specimine. Vidi eam olim, sed non rite recordor. Devotissimas meas dicas illustri Parenti tuo.

Vale Dab. Upsal. 1762 d. 6 Novemb.

39. Archiatro
D^no^ LINNAEO
N. L. B. — 2 Decembr.

Amicissimas mihique gratissimas litteras justo tempore recepi, ad quas mox responsum dedissem, si nón nova illa *Amarillidis* species, cujus florem tantum ultima vice in litteris dederam, scapum suum extulisset, quem lubenter ad te mittere vellem, nuperque modo flores suos evolvisset, quae *Am. Reginae* proxime descriptione accedit, tamen ex nostra sententia numquam ad figuram Milleri referri poterit. Melius mihi convenire videtur Hermanni figura, quam ex America accepisse notat, cum haec ex Africa, differtque tantum scapo ex centro bulbi intra folia, corollae tubo nullo, petalis linearibus reflexis undulatis; in misso specimine tres tantum flores reperies, cum in altero septem fuere.

Altera, quam mitto, est *Ixia* illa, cujus florem nuper litteris incluseram, foliis et corollâ viridi, (instar vitrioli), basi coeruleo maculata, de qua quaerebam in ultimis, num pro varietate *albae* habenda?

Tertia (uniflora) colore corollae purpurascente, nuper ex bulbis hac aestate receptis enata fuit, scapo declinato unifloro, petalis duobus superioribus inflexis genitalia occludentibus, saltem ex tribus speciminibus, quae modo habemus, apparuit, hoc constanti modo adesse, si non per frigus autumnale factum fuerit.

Gratissimum praestares, si per litteras me docere velles, quis proprie in *Ixiis* animadvertendus character, ut ad *Ixias* referantur. Nuper, cum D^nus^ de Gorter hic

aderat, inter alia et quoque de hocce genere sermo erat; credebamusque facile ab aliis separari posse, omnesque, quarum corolla 6-fida, stigmata 3 simplicia, huic generi adjungebamus, sed absoluta examinatione ultra quinquaginta aderant, quibus hicce conveniret character, nec tamen crederem omnes *Ixias* esse, lilet nulli generi propius accederent.

Arduini, nec Halleri, nec Gerardi opera ullibi hic emenda prostant, quae libenter alias offerrem, nec bibliopolis nostris nota. Oblata fuere ab ipsis auctoribus Carissimo Parenti, cum vero Bibliopola Leidensis Haek hocce tempore Parisiis versetur et circa vernale tempus rediturus sit, absque dubio tunc temporis emere poterimus. Quomodo tibi arridet Oederi flora Norwegica, Regis jussu quoque parenti meo oblata, qui Rex a Parente meo quoque plantas quasdam quotannis petiit, ut hortum instruere posset, quasque jam praecedente anno misimus.

Nil gratius mihi poterit esse, quam cum Tabellario Dissert. tuam de fundamento fructificationis recipere, quam avidissime expeto, singulaque vice, quo Philosophiam tuam evolvo, hujus libri novam editionem exopto, qua omnia clariora et magis explicata habebuntur, cum, si verum tibi fatear, plura supersint, quae ob brevitatem non bene percipi a me queunt, ideoque dissertatio illa mihi gratissimum donum erit.

Hydrangeae semen, uti habeo, mitto; si vero vivam stolonem exopta possemus tibi subministrare; *Gloriosa* numquam matura profert semina, bulbum autem, vel stolonem et tibi dare poterimus, si exoptas.

Clethrae semina numquam magis matura fiunt; bis

sevi, sed nulla enata stirps; si et hanc vivam desideres, quoque subministrabo.

---

40. Dno. Archiatro
LINNAEO
(S. D.
N. L. BURMANNUS) 22 Febr. 1763.

Hisce recipies omnium seminum partem a Do. Forskäl Cairo transmissorum et pro te separatorum, ex quibus ejus attentio et peritia patet, quemque salvum rediturum exopto. Addidi quoque quaedam Surinamensia, Capensia, paucaque ex Minorca recepta, quae omnia tibi grata erunt, ut spero.

Avide exspectamus Specierum novam editionem reliquaque opera ad Historiam Naturalem pertinentia; avidissime ego dissertationem de fundamento fructificationis, quam in ultimis promiseras, gratiasque faceres, si Salvium, vel eum, qui haec opera impresserit, injungere velles, ut primis cum navibus in Hollandiam transferantur, ut emere queamus a bibliopolis.

Emit nuperrime sat caro pretio Parens 70 plantarum Surinamensium figuras, a Joh. Sibilla Merian ad vivum delineatas, pulchras, quaeque rarissime, nec nisi in sylvis densissimis, saltem ut illa in MSS. profitetur, inventae fuere.

Nil novi porro Tecum communicandum habeo. Valeas itaque vir Clar. omnesque domi tuae mei amoris certiores facere velis.

41. Experientssime
D[ne] Doctor (*).

Hodie accepi tuas d. 2 Aprilis datas, refertas multis curiosis rebus, quae mihi salivam movebant.

Pulchre depictum insectum e Surinama ipse possideo, et inserui musaeo Reginae ad initium, ubi de Cerambycibus agitur. Totum opus intra mensem erit absulutum, meum insectum est figura sextuplo majus, vel ultra.

Gratias egi dudum pro seminibns Forskåleanis, e quibus paucae mihi prognatae plantae. Accepi et nuper, sed omnia ejus semina fuere in itinere diu in loco calido exsiccata, ut inde laeve gaudium sperare liceat.

Accepi bulbos a D. Hasselgren Holmia missos, sed nesciebam, quis miserat; erat stupendus thesaurus bulborum, quo me beasti, pro quo non satis sufficienter tibi devotam mentem reddam.

Geranium novae speciei foliis crispis, est nil nisi *Geranium scabrum*, sed planta pygmea; contuli meum exemplar sub microscopio, et est illud idem.

Geranium spinosum. Calyx 5-phyllus. Stamina aequalia 10; ergo debet in meis speciebus occupare locum penultimum; non dubito quin pedunculi sint uniflori; cum *Geraniis* africanis heptandris nil habet commune, sed convenit cum Europaeis ultimis. Antherae ovatae versatiles sunt.

Geranium grandiflorum differt a reliquis *Geraniis*, pistillis 5 distinctis, nec coalitis in rostrum. Germina

(*) Est epistola Linnaei ad N. L. Burmannum.

subulata vix styli vestigium habent, et stigma singulorum est verruciforme. Calyx monophyllus patens est, nec pentaphyllus, ut in Europaeis; Calyx hic non basi tubulosus est, ut in Africanis; nec stamina 7 inaequalia, sed stamina regularia, ut in Europaeis. Non meretur inde novum genus condi, tantum ob germina, quae distincta 5, nullatenus 10 sunt. Ex quibusdam floribus videntur alii masculi, nisi excrescant demum germina in fundo floris haerentia.

Drosera verticillata pulcherrima planta est et novi generis; proxima *Sauvagesiae*, sed absque nectario:

Cal. pentaphyllus, foliis lanceolatis aequalibus persistentibus, longitudine fere petalorum.

Petala 5, obovata, patentia, sessilia, aequalia.

Stam. filamenta 5 filiformia, corolla dimidio breviora. Antherae erectae semi-bifidae subulatae apice dehiscentes, basi hinc gibbae in nectarium saccatum obtusum.

Pist. Germen oblongo-subulatum; stylus cylindricus longitudine staminum. Stigma truncatum levissime 3-fidum.

Per. Capsula subtrigona trivalvis; an 3-locularis, videre nequeo. — Sem. plurima.

> Quaeso disseca pistillum transversim in tuo specimine, et armato oculo inspice, quot loculamenta fructus sint, sine quibus claudicat character.

Ramuli fruticosi, ut videtur, terrae immersi. Folia ramulorum terminalia plurima, subulata, plana, dentata, dentibus filiformibus, simulque ciliata. ———

Si Nob. Parens tuus vellet mihi dare flosculum ex

suis Africanis tab. 72. f. 2, illum aperirem caute, et viderem, num posset ad hoc novum genus referri.

Quotquot velis ad me mittere siccas plantas, eas rite examinabo, et observata cum plantis sincere remittam, absque ulla interposita mora.

Paucas habeo ego plantas Africanas; si habeas superfluas, mittas ad me aliquot specimina, videbis responsa mea mox, et quae circa illa notavi.

Nuper accepi Pisces copiosos et insecta ex America, quibus hodie delector.

Anne velles mihi describere tuam Simiam, ut eam insererem tuis verbis novo systemati.

Devotissima mea dicas summo Parenti Tuo, quem perpetuo colam ob beneficia, ob merita in artem nostram, ob animum candidissimum.

Vale et me ama.

Dabam Upsaliae 1764 d. 20 Aprilis.

---

42. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO et FILIO

S. Pl. D.

CAR. A LINNÉ.

Accepi cistam cum plantis rarissimis, quas studiose pervolvo.

Africanae perplacuere; pleraque exemplaria erant pulcherrima; ad singula respondebo. Donum horum erat generosissimum, pro quo nequeo satis grates reddere.

Indicae plantae perplurimae erant mutilitae, fructificationibus destitutae, quas ne Oedipus determinet; ubi fructificationes adsunt, eas vel describam vel determinabo, et quam primum remittam, sed vereor, quod in his non satis fecero, ubi ipsa impossibilitas vetat.

In Capensibus inprimis perplacuit fructificatio *Petasitidis bliti fructu*, quae novum genus conficit, et distinctum ab omnibus notis generibus (Diandria monogynia (*):

Cal. *Amentum* squamulis linearibus unifloris. *Perianthium* nullum.

Cor. nulla.

Stam. *Filamenta* nulla. *Antherae* duae, ovales, oppositae, germini insidentes.

Pist. *Germen* ovatum, acutum, apice bifido. Styli 2, reflexi, filiformes. *Stigmata* simplicia.

Per. nullum.

Sem. ovatum, induratum, cortice tectum.

De Capensibus singulis respondebo; erant enim eae perfectissimae. Si rite intellexi, quae adscripsisti Capensibus, dedisti mihi eas, modo responderem ad numeros. Si non recte intellexi scripturam; me doceas alia et remittam singulas, dum remitto Indicas, quas jam jam absolvi, quatenus absolvi possunt. Doleo, quod inter Indicas tam multa sint nova genera, quorum charac-

(*) Est *Petasitidis folio, bliti fructu* Raji, *Perpensum blitispermum* N. L. Burmanni (*prodr. Fl. capensis*, 1768, p. 26, bis), *Gunnera perpensa*, Linn. Mantissa 1767, p. 121; Persoon, Synopsis I. p. 30.

ter perfectus dari nequit ob imperfecta specimina. Interim 12 genera distincta et nova extricavi.

Respondebo similiter ad *Gerania* tua.

Nobis floret *Brassica spinosa*, quae est omnino species valde singularis *Bunias*.

Laetor, quod inter tuas Indicas reperire poteram perfectum specimen *Coldeniae*; habet certe quatuor pistilla, quidquid reclament alii; sed habet hoc singulare, quod ejus duo semina sunt singula bilocularia.

Gladiolus tuus *petalis undulatis* est profecto speciosissima planta; ex specimine non rite perspicio, utrum sola tria exteriora petala sint undulata, vel omnia sex. Floret nunc apud me *Moraea* Milleri, sed unicum habeo specimen.

Literas inclusas quaeso mittas ad D. Kleynhoff, qui praecedenti anno ad me aliquot semina misit.

Vidi Adanssonii methodum naturalem, nec stultiorem umquam; ille lacerat genera naturalia; *Mesembryanthema*, quae quivis tyro agnoscet ejusdem generis, in tria distinguit, et sic in ceteris; certe nulla ejus classis valet. Dat notas copiosas, sed tamen nulla distinguit, adeoque nullus character; ideoque et haec nil nisi fragmenta nec systema. Mutat omnia nomina in pejus; miror, num iste sit sanus et sobrius. Certe nulla methodus est minus naturalis.

Hisce valete, Viri optimi, ingenui, amicissimi.

Dabam Hamarby 1764.

d. 27 Julii.

---

43. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

S. Pl. D.

CAR. LINNAEUS.

Equ.

A morbo etiamnum debilis examinavi praeterita aestate plantas a Te amicissime missas; quotquot licuit nova Genera ex iis elicui; erant enim plurima specimina rudiora, quod mihi vitio non vertas, cum ultra procedere non datur, quam fructificatio ducit. Descripsi hos Indicos characteres in diffusa epistola, etiamnum debilis. Remisi candide omnes plantas, nulla excepta, per Senatorem Gother, Holmensem, per quem plantas accepi, ut, si unica deficiat, mea culpa non factum sit. Capenses tam diu retinui, cum sic jubebas in epistola et mihi dono dabas, pro quibus numquam satis Tuas laudes praedicare valeo. Responsorias nullas accepi, ideoque etiamnum nescius sum, utrum recepisti Tuas plantas vel accepisti meas literas, in quibus descripsi characteres novorum Generum.

Upsaliae 1764 d. 17 Decembr.

Ante octiduum accessere cum navibus exoticis duae cistae plantis rarissimis refertae, sed absque literis, ut nesciam, unde eaedem missae. Prior continet circiter 400 plantas Indicas, inter folia chartacea asservatas, absque numeris, sed cum nominibus Indicis adscriptis; manum non novi; nec videtur Tua, nec filii Tui, forte ab eo, qui ad Te eas misit. Laetatus has inspexi, cum

unumquodque facile specimen erat cum fructificatione satis perfecta; ut, si hoc habuissem praeterita aestate, dum tuas priores examinabam, plerasque indigitare potuissem.

Posterior cista continet ultra 100 plantas Capenses, absque charta exsiccatas; sunt haec specimina et pulcherrima, et rarissima; pleraque cum fructificatione. Ex numeris particulae chartae lusoriae inscriptis, video has missas vel a Te, vel a Gronovio, vel a Royeno; certe numeri Belgici sunt. Cum in his plerique numeri contineant plura individua speciminum, si Tua sint, quaeso, num liceat ex his, ubi sunt in duplo vel decuplo, eximere speciminulum pro meo herbario; de qua re expeto, quam primum liceat, tuum responsum; e priori cista nullam eximam, cum video eas plantas solitarias.

Quam primum dies 20 Decembris praeterlapsa est, cessant labores academici et ego totus in hisce plantis ero.

His vale; salutes oro D^{m} filium Tuum, quam primum scribas et accepero Tuas esse plantas, ad singulas respondebo, quam primum umquam licet; scilicet primum ad Capenses, dein ad Indicas, quae me detinebunt certe per mensem et ultra.

In Capensi cista, dum fugitivis oculis perlustrabam plantas, insigni gaudio me adfecere duae splendidae plantae:

Mahernia, quod nomen necessario retinendum, ex ipsa natura plantae desumtum:

Cal. Perianthium monophyllum campanulatum 5-dentatum, dentibus subulatis erectis, basi longioribus, persistens.

Cor. *Petala* 5 cordata oblonga patentia, calyce duplo longiora; unguibus latiusculis, longitudine tubi calycis.
Nectaria 5 obcordata pedicellata, germini circumposita, calyce breviora.

Stam. *Filamenta* 5 capillaria, Nectario insidentia, calyce breviora. *Antherae* oblongae erectae acuminatae.

Pist. *Germen* subpedicellatum obovatum quinquangulum, longitudine calycis. *Styli* 5 setacei, longitudine petalorum. *Stigmata* simplicia.

Per. *Capsula* obovata obtuse quinquangula, 5-locularis.

Sem. nonnulla reniformia.

Mahernia verticillata n°. 86.

Leucadendrum speciosum, foliis lanceolatis integris, calycibus tomentosis apice penicillatis.

Lepidocarpodendrum folio oblongo viridi limbo rubro ornato, squamarum apice et margine lanuginosis. Boerh. *Lugdb.* 2 *p.* 185 *t.* 188.
Rami laeves. *Folia* alterna laurina laevia lanceolata sessilia. *Flos* terminalis sessilis. Calyx imbricatus strobiliformis: squamis sericeo-tomentosis: infimis minutis; mediis lanceolatis; summis longis canaliculatis tomentoso-sericeis, semicylindricis, erectis, apice lana ferruginea penicillatis, singulari pulchroque spectaculo. *Flosculi* calyce breviores ex duobus staminibus apice connexis in cylindrum; altero latiore e tribus coadunato. *Germina* pilosa.

---

44. Clarissimis

BURMANNIS,

PATRI ET FILIO

S. Pl. D.

CAR. VON LINNÉ.

Tandem, obtentis feriis, potui extricare pulcherrimas vestras plantas Capenses, per paucas nobis hoc tempore diei horas, in quas impendi laborem magnum, sed gratissimum et exhilarans.

Descriptiones rariorum mittam, quam primum accepero vestrum responsum ad priores meas literas, dum novero pro certo vestras esse plantas; alias tam multa in cassum scribere esset opus ingratissimum oculis meis.

Nigrina, 80, est profecto singulare genus, nec ejus figura ullibi succurrit, quantum novi.

Cal. *Perianthium* monophyllum ovato-campanulatum, inflatum, 5-dentatum, persistens.

Cor. monopetala, infundibuliformis, longitudine calycis. Tubus patulus. Limbus 5-fidus obtusus patulus, tubo brevior.

Stam. *Filamenta* 5 filiformia, inferiori tubo inserta, tubi longitudine. *Antherae* obovatae, basi bipartitae et mucronatae.

Pist. *Germen* conicum. *Stylus* filiformis longitudine floris. *Stigma* obtusum.

Per. Capsula ovata 2-locularis?

Sem. . . . .

Nigrina vesicaria. (*)

Habitat ad Cap. B. Spei. ♃.

Caules herbacei erecti teretes sesquipedales.

Folia opposita sessilia lanceolata scabra, dente 1. s. 2.

Flos ex singulis alis versus summitatem caulis pendulus.

Pedunculo filiformi laxo, bracteis in medio 2 oppositis.

Quercifoliam 110, 113, quam et antea aliquoties accepi, miror me nullibi vidisse cum fructu aut flore, ut ejus vera cognitio eruatur. Quaere inter tuas, numne ullibi occurrat flos.

Phyliciflora 123, quoad flores primo intuitu habet multa communia cum *Phylica*, licet modus florendi alius s. lateralis; sed flos diversissimus. Ni fallor haec mas est, et forte alia femina. Si ullibi apud te occurrat fructus, quaeso indices, ut pulchrum obtineatur genus.

Thuja 88, refert exacte *Cupressum* etiam fructu, sed fructus dividitur longitudinaliter, quod non in *Cupresso*, sed uti *Thuja* Shaw, *Afr.* 188 f. 188; fructu hanc refert 4-valvi, sed ramuli more *Equiseti* minime pyxidati.

Corymbium 2. Quaere inter tuas numne et alia distincta species detur foliis latioribus ex ala barbata, caule laevi.

(*) Haec descriptio pertinere videtur ad *Nigrinam vesicariam* N. L. Burm. prodr. fl. Cap. p. 5, sive *Nigrinam viscosam* Linn. mantissa (1767) p. 42.

Arbor 92, adeo refert *Brabejum* (*), ac si esset eadem, sed fructificatio diversissima toto coelo, et ad hanc figura potius Pluken. Tab. 265 fig. 3. Video in hujus amento flosculos, satis distincte etiam stylum, sed non germen, adeoque hi flosculi pro masculis habendi et fructus, vel in hac, vel in alia arbore proveniet; doleo quod fructus sit ignotus, ut genus tam pulchrum relinquatur.

Folia verticillata 7, petiolata, lanceolata, subdentata laevia.

Amenta axillaria solitaria, erecta, pedunculata, brevia, *Squamis* undique imbricatis, ovatis, acutis, multifloris.

Flosculis: Cal. O. Cor. infundibuliformis, 5-fida. Stam. 5. Styl. 1.

Passerina 96 *virgata* habet flores tam exacte similes *Passerinae dodecandr.* 38, ut ovum ovo. Antherae 8 barbatae fauci insident; 4 nudae intra tubum.

Passerina 26 *ericoides* mihi risum movebat; assumsi eam pro *Erica*, at, inspecta fructificatione, vidi *Passerinam.*

Lobelia 119 *tenella* videbatur primo intuitu *Erica;* sed folia alterna dissuadebant, mox credidi *Campanulam* ob fructum, sed explicato flore, multo labore constitit esse *Lobeliam* (**).

Ixia 117, inter omnes hodierni diei *Ixias,* maxime sin-

(*) Est *Brabejum stellatifolium* Linn. Sp. pl. p. 177; N. L. Burm. prodr. fl. Cap. p. 4.

(**) Vid. Prodr. fl. Cap. p. 25 bis.

gularis et pilosissima, contra relinquarum specierum naturam; *Wachendorffia* nequit absolute esse, cum germen omnino sit inferum. Haec mereretur haberi in Tuo horto.

Conium rigens 81 habeo in horto vivum; parum differt a *Conio Africano;* caulibus suffruticosis erectis rigidis, foliis magis carnosis.

Ne obliviscaris oro, quando scribimus unus ad alterum dicere *Petasitem* istum Capensem Herm. et Pluk. *Perpensam* et *Geranium* istud tam pulchrum, quod habet Breyn in 3io prodromo, *Monssoniam*, a nobilissima Dna, quae Botanices causa addidicit linguam Latinam(*).

Upsalia 1765 d. 8 Januarii.

---

45. Clarissimis Amicissimis

BURMANNIS,

PATRI ET FILIO

S. Pl. D.

CAR. VON LINNÉ.

Accepi vestras d. 4 Januarii, in quibus dono plus quam Regio mihi offertis omnes istas pulcherrimas Capenses, quas ultimo misistis. Donum majus est, quam ut queam pro eo grates reddere debitas, cum profecto obstupefiam. Numquam accepi quidquam gratius.

Convolvulus tuus figura delineatus est mihi bene notus et genuina *Echites* species, mihi *Echites caudata;* laciniae corollae ad ipsas apices mihi videntur in tua figura nimis angustae.

(*) *Monssonia grandiflora* N. L. Burm. pr. fl. Cap. p. 23.

Jasminum Japonicum non novi. *Jasmini* certe species esse nequit.

Chamaedryfolium 110, 113; quaere inter tuas plantas numne ullibi fructificatio occurrat; vidi eam saepius, semper sterilem.

Ixia umbellata 177, mirum, quod nullibi occurrat in hortis, ne quidem in tuo, tam singularis planta.

Oederi Elementa nuper accepi, sed sunt nil nisi e meis furto extracta, quod quivis videbit.

Descripsi plantas tuas rariores in propria plagula et credo, quod Diabolus ipse abstulit; quaesivi plagulam per totum diem, nec occurrit; forte filius poterit meam primam manum legere, quam inclusam mitto.

Quaeso des mihi aliquot seminula pro primo vere, tu, qui possides omnia.

Valete ambo carissimi.

Dabam Upsaliae d. 12 Februarii 1765.

---

46. Archiatro

C. LINNAEO,

(S. D.

N. L. BURMANNUS.) 16 Febr. 1766.

Quid Tibi pro communicatis referam, amicissime Linnaee, et quid tibi referre possem! Grata Tui recordatio amorem in te quotidie auget, eoque magis, si ex litteris animum tuum in nos beneficum perspiciam.

Gratissimae fuere litterae, quas tam accurate elaborare volueris, quibus respondere incipiam, hisque inclu-

do plerarumque flores, quos petiisti in ultimis. Doleo tamen, quod non magis perfectos tibi mittere queam, quod libenter fecissem, si non exemplaria, partim nimia exspectatione, partim vetustate, adeo detrita et mutilata forent.

Anonyma illa Tab. 3 (*), an non *Azalea roris marini folio*, quae male picta. Sique *Monarda* illa Tab. 5 novi generis foret, scribas, quaeso, quodnam eligeres nomen. *Commelinae papilionaceae* Tab. 7 non nisi parvum mihi superest specimen, cumque scribas, quod depingerem calyces, peto, ut modo litteris depingere velis ex tuo specimine, ut tabulae insculpi deberet, uti et *cristatae*, si non nimium laboris tibi creabit.

Oldenlandia (*repens*), an valet descriptio tab. 15 f. 4, caule repente, foliis obovatis petiolatis, pedunculis axillaribus unifloris?

Poa amabilis, an non addere licet Pluken. t. 92. f. 2.

Stipa littorea, an valet descriptio: bracteis lanceolatis, floribus umbellato-fasciculatis, foliis vaginantibus reflexis canaliculatis, cuspidatis.

An *Convolvulus mollis* Tab. 17 et *sericeus* Tab. 19 forent ejusdem stirpis specimina? Cum in missis litteris addere placuerit, *mollem* tibi esse *sericeum*.

Si grata tibi forent earum specimina, quae in duplo possidemus, lubens mittam cum navibus Sueciam petentibus verno tempore.

Nil novi quod ad Hist. Nat. hisce in terris provenit. Si quid apud vos acciderit, certiorem me hujus rei facias,

(*) Cf. N. L. Burmanni *Flora Indica* t. 3 sqq.

quaeso, sique dissertationes ventilatas vel appendicem in novam specierum editionem in lucem edidis, mittas ad nos, ut laboris Tui fructum una carpere possimus.

Valeas, vir nobilissime, salutes consanguineos mihi notos, nosque amore tuo et favore constanter prosequi pergas.

Hortulanum misimus ad Caput bonae spei, qui pro nobis plantas et insecta colliget.

---

47. Clarissimo
LINNAEO,
Archiatro
(S. D.
N. L. BURMANNUS.) 6 April 1768.

Praecedente septimana per D[um] Balguerium nautae cuidam tradita fuere duo *Florae Indicae* exemplaria, quarum alterum Filio tuo, ut tradas, oro, quaeque vobis meo nomine offeruntur, quumque tam generoso animo mecum ea, quae ad elucidanda obscura necesse erant, communicare voluisti; pro quibus denuo summas hisce ago gratias. Mihi haud vulgare praestares officium, si vitia, quae in hocce specimine occurrant, juxta foliorum numerum annotare et transmittere velles, ut a me in posterum mutari et Florae Capensis editioni addi possent; ignoscas, quaeso, Clar. Vir, quod tibi haecce proponam, nec ausus fuissem, nisi tot tantaque amicitiae tuae testimonia tam luculenter antea, et quidem nunc in hocce opusculo, expertus fuissem, certusque

scirem te nullius, si modo publicae saluti amicisque prodesse posses, usquam poenituisse laboris, cumque nunc in posterum Floram capensem ulterius elaborare incipiam, veniam a te peto, ut mihi permittere velis, te in iis, quae haud clara videntur, consulere, ut perfectiorem hanc Floram rerum peritis exhibere possem, cumque ante semiannum, mihi narratum fuit, Holmiensem quemdam tui discipulum in plantarum Africanarum descriptionibus occupaturum fore, quas Florae nomine ederet, gratum foret, si hujus rei me certiorem facere velles; inprimis, si plantas a Car. Parente antea communicatas contineret.

Si novi quid in vestris terris quoad Hist. Nat. accideret, nobiscum communices quaeso, vel, si sub tuo auspicio dissertationes ventilatae fuere, vel orationes prodiere, quas in duplo possides, harum exemplar grato animo acciperemus, inprimis si semina rariorum plantarum adderes. Non dubito, quin justo tempore acceperis Zoophytorum Elenchum, quem mox cum auctor Pallas ediderat, emi, et ad te transmisi, uti et hisce addo semina ab Allionio nuperrime accepta.

Ante septimanam unam alteramve prodiit in 4to pulcherrimum et fere regium Hyacinthorum opus a comite quodam de Saint Simon exactissime et methodice elaboratum, cujus titulus est: *Des Jacinthes, de leur anatomie, reproduction et culture,* cum tabulis, ubi methodus a nostris Harlemensibus adhiberi solita, clare enucleatur, botanophilorum species delineantur, varietatumque nomina, quae ad bis mille accedunt, recitantur. Venale nondum prostat.

Audivi systematis tui tomum 2^{dum} vel 3um in mari periisse, quod dolemus, sique novi libri prodiere inter annum unum et alterum horum nos certiores ut facias, rogamus, cum nihil intra illius temporis spatium ex Suecia recepimus.

Titulos binos *Florae* addidi, ut eos Salvio procurare, et, si placeat, commendare posses, vel alteri cuidam praecipuo bibliopolae; meis nempe impensis prodiit; idcirco nostrates, qui venditant, parum solliciti erant, num divendant, nec ne, ideoque, si posses, Actis vel in Catalogis, ubi novi libri recitantur, hujus mentionem facere, auctori gratum facies officium.

Valeas salutatus a Parente. Vivas felix.

---

48. Amicissimo suo

N. L. BURMANNO,

S. Pl. D.

CAR. V. LINNÉ.

Hodie accepi literas tuas d. 6 Aprilis datas, pro quibus gratissimam mentem rependo; ut et pro dono Tuo egregio operis Tui, licet nondum accesserit; ut accepero, de eo dicam, si quid occurrat monendum.

Dr. Bergius edidit *Descriptiones plantarum ex Cap. B Spec. Stockh.* 1767, 8vo. apud Salvium. Continet circiter 300 plantas descriptionibus exaratas, quas accepit a quodam Grubb, qui ad Cap. B. Spei in reditu ex Indiis fuit. Dum tomus secundus systematis mei imprimebatur et corrigebatur ab eius fratre, edidit suas de-

scriptiones, quasi non vidisset meam Mantissam, adeoque sua nomina imposuit singulis plantis et generibus. Tomus hic secundus systematis, a Salvio missus in Belgium, periit in itinere. Nunc sudat tertius tomus, qui agit de Lapidibus.

Nihil novi in Suecia. D[r]. Haxtröm per plures annos meo suasu instituit experimenta cum Apibus, e quibus floribus mel aut ceram colligunt, et e quibus non. Hunc tractatum dedit Soc. Reg. scient. Holmensi, quae eum edat Suecice.

Dum scribis, oro, dicas mihi, ut valeat venerandus Parens Tuus, quem cultu omni, dum vivo, prosequor.

Vale et dicas, qua in statione constitutus sis.

Upsaliae 1768, d. 7 Maji.

---

49. Amicissime

BURMANNE. (*)

Nunc primum accepi librum tuum a Bibliopego compactum, nec potui desistere, quin integrum et totum devoraveram; sed debeo et iterata vice librum a capite ad calcem pervolvere. Opus sane mihi perplacuit; multa jamjam didici synonyma pulchra et selecta, quae me fugiebant antea. Dego jam Hamarbyae, nec possum totum opus conferre cum Bibliotheca, quam in urbe habeo, antequam urbi redditus fuero. Non tamen desistam antequam omnia hausero, nec credam facile, quod attentum magis discipulum habebis, qui plura ex Tua doctrina hauriat.

(*) Est epistola Linnaei ad N. L. Burmannum.

Figurae defecerunt in exoticis plantis ubique cum magna calamitate artis. Si simul colligo omnes istas figuras exoticarum plantarum Burmanni patris et filii, nempe *Zeylanicas*, *Rumphianas*, *Plumerianas*, *Capenses* et Tuas 177 *Indicas*, nulli mortalium plures debet orbis Botanicus, et quibus destituti Botanici ubique vacillarent. *Azalea* t. 3 erit *Rhododendri* species.

Laetor magnopere, quod dedisti figuras sequentium:

Dactylis lagopoides	*Steris aquatica*
Knoxia Zeylanica	*Antirrhinum papilionaceum*
Cometes Surattensis	*Pedalium Murex*
Echites caudata	*Hedysarum crinitum*
Delima sarmentosa	*Ethulia divaricata*
Moluccella persica	

ut cetera et pleraque taceam.

Iresine persica mihi *Achyranthes lanata*, ni fallor.

Acalypha hispida mihi *Caturus* dicta.

Dolichos trilobus mihi *Dolichos trilobatus*, distinctus a *trilobo*.

Buphthalmum Garzini est profecto singularis planta, si *Buphthalmi* generis.

Sed de singulis mihi obscuris scribam, postquam opus plenarie devoravi.

Flora etiam Tua Capensis perplacet.

Ne literae vacuae abeant, mitto semina recentia et quidem hodie lecta *Hyoscyami Scopoliae*, quae mox sub dio serenda. Speciosa et singularis maxime planta.

Devotissima mea dicas immortali Patri Tuo. Vale et me, ut facis, porro ama.

Dabam Hamarby 1768 d. 14 Julii.

---

50. Archiatro

C. LINNAEO,

(S. D.

N. L. BURMANNUS.)

Quantum gaudii nobis dederunt honoratissimae litterae, quas 14 Julii ex Hamarby tuo dare voluisti, ex quibus perspicere licuit Floram Indicam Tibi haud displicuisse, quodque mihi gratiam praestare volueris ea, quae minus recte dicta occurrunt, annotare, mecumque communicare, ut meliorem in ordinem redigere possem. *Iresines javanicae* semina addidi, ut in sequenti anno ex viva planta distinguere posses, num ad hoc, num ad *Achyranthes* genus referendum sit, licet *Ir. persica*, pace tua dictum, multum differat ab *Achyranthe*, quam pro *lanata* tua in horto possidemus.

Cum nave brevi recipies bulbos quosdam Capenses, qui laete progerminare solent et flores proferre nostro in solo, addidique sicca quaedam nuper allata Capensium specimina numeris notata; cum forsan intererunt quaedam haud adeo vulgaria, mihi gratissimum faceres officium, si secundum numeros nomina mihi notare velles, ut rite eos in Flora Capensi, quam vernali tempore elaborare adgrediar, recensere possem

etc. etc.

51. Amicissimo suo

BURMANNO,

S. Pl. D.

C. LINNÉ.

Attente, nec sine voluptate summa, perlegi *Florae Capensis Prodromum* et certe Flora ipsa erit omnibus acceptissima, dum plantae omnes ejus rarissimae ad certa genera erunt amandatae et species perfectis differentiis distinctae. Faxit Deus, ut feliciter haec absolvas!

A longo tempore Tuas non habui litteras, nec respondisti ad meas petitiones, quare etiam judicaveram differre meas litteras usque dum Tuas obtinuissem, sed vicit amor (*).

Veronica capensis, anne Tua simillima sit *Veron. officinali*, sola scabritie demta et ejus varietas?

Verbena hastata, planta Americae septentrionalis; non potest esse Capensis.

Antholyza quadrangularis, anne *Gladiolus tristis?* ob folia singularia. Plures habes *Antholyzas*, *Ixias*, *Gladiolos*, quos ego non novi. Harum figuras ex vivis, quaeso, dabis et describes attente colores florum.

Vieusseuxia et *Phalangii* species nullas novi et nec

(*) Nomina plantarum, quae sequuntur, spectant plantas memoratas a N. L. Burmanno in *Prodromo Florae Capensis* 1768; de quibus hocce ipsius Linnaei judicium certe attentione nostra dignissimum est.

quidem eorum characterem genericum, quem oro solide praestes.

Schoenus capensis est *Restio dichotomus* vid. Syst. nat. II. p. 735.

Dactylis spicatus an *Andropog. Ischaemi* affinis?

Stipa africana singulare gramen; anne velles mittere florem istius?

Avena capensis an *Avena* mea *stipiformis* Mant. meae 34?

Scabiosa pumila, anne varietas monstrosa?

Hamamelis afra numquam erit *Hamamelis*; an habeat flores Tua?

Heliotropium tomentosum an diversum ab *Hel. gnaphalode*?

Lycopsis capensis, an tubus corollae incurvus? alias non *Lycopsis*.

Anagallis capensis est *Anagallis linifolia*.

Campanula Draba, quid?

Phyteuma capensis flore solitario, an possibile? vellem videre talem florem.

Solanum molle debet accurate definiri in tanta multitudine.

Chironia cymosa me fugit, nec habeo tabulas Plukenetii ultra 350.

Phylica cordata, quam *dioicam* dixi in meis.

Celastrus evonymifolius, forte meus *lucidus*.

Diosma ciliata, *lanceolata*, *pulchella* ad *Hartogiae* genus spectant.

Brunia levisanus; referas ad *Proteam Levisanum*.

Thesium umbellatum est *Thes. euphorbioides* Berg.

equidem pl. africanam non vidi; minime credam hanc eandem cum illa Americae Septentrionalis.

Periploca multiflora, quid?

Achyranthes frumentacea, an vera *Achyranthes?*

Pharnaceum tomentosum; petii flosculum a te pro examine generis; certe cautus erit, qui hoc genus dignoscat. Nullus ex facie genus divinabit. Quaeso mittas florem.

Crassula scleranthoides, est mea *glomerata.*

Pontederia stricta qualis? An florum spica e latere petioli?

Amaryllis bulbi-sperma; vide an tubus corollae sit monopetalus, an petala 6 distincta forment tubum; si prius, erit *Crinum.*

Fritillaria nana singularis.

Albuca maxima; anne posses aliam eruere notam specificam quam a latitudine, ut posset rite distingui.

Ornithogalum cepaceum, anne locum habebit inter *Antherica* mea inter n°. 7—11; sed Hermannus dicit folia fistulosa, quod singulare.

Asphodelus strictus, quid?

Asparagus triacanthus meus *capensis* mantissae.

Alethris bifolia et *linguiformis*, anne possent esse varietates?

Limeum aethiopicum; nisi miseris flosculum, numquam ero certus de genere, quod non omnes dignoscunt.

Septas capensis nova; admodum rarum esset, si hujus generis nova species exstitisset.

Erica abrotanoides mea *absinthioides* mantissae; an *uniflora* tua semper uniflora?

Daphne rosmarinoides, *Gnidia radiata*, *Passerina imbricata*, *planifolia*, *ericoides* sunt plantae, quas non vidi, nec de genere certus sum.

Beckia cordata; non credam *Beckiae* speciem dari in Cap. B. Spei, nec recordor me hanc vidisse. Optarem scire certum genus. Si esset *Beckiae* species, utique gratissimum Botanicis.

Zygophyllum cordatum Shaw. 231, an *coccineum?*

Royena scabra debet collocari juxta *lucidam*, cui valde affinis, ut fere dubitem, utrum sit varietas, licet folia longiora.

Cotyledon caryophyllea, si habeas, an stamina 10 aut 5?

Cotyledon ventricosa et *grandiflora*. Crederem varietates a caule noduloso.

Reseda capensis, an distincta a reliquis? an posses mittere ramulum?

Euphorbia genistoides Berg. Hanc numquam vidi; ejus differentia non sufficit.

Euphorbia linifolia, an diversa ab *Euph. segetali?*

Euphorbia taxifolia, quae?

Myrtus capensis, an distincta a mea *Myrto angustifolia* Mantissae?

Tetragonia lanceolata, an varietas *herbaceae?*

Papaver multiflorum et *nudum* mihi ignotae.

Betonica capensis est *Stachys aethiopica*.

Euphrasia capensis, an vera *Euphrasiae* species?

Selago teucriifolia, *prunastri*, *abietina*, *spinosa* mihi ignotae.

Hebenstreitia scabrida (*), nonne mera varietas *Heb. dentatae?* ut ut Bergius distinguat.

Erinus umbellatus, an *Erini* species? vix crederem.

Buchnera capitata, an *Buchnerae* species?

Thlaspi africanum, quale?

Hermannia pinnata mea *Mahernia*. Aut haec distinguatur a *Mahernia*, aut nullus umquam character generis.

Hermannia linifolia mihi ignota; an satis diversa ab *H. lavendulaefolia?*

Geranium flavum singulare.

Geranium spinosum est vera species *Geranii*.

Monnieria trifoliata. Utinam mitteres unicum florem. Impossibile est, quod haec crescat in Africa.

Polygala pinnata et *triphylla*. Non capio, quod *Polygala* detur foliis compositis.

Spartium pinastrifolium, *Genista myrtifolia*, *taxifolia*, *cotinifolia*, *lancifolia* mihi ignotae.

Crotalaria villosa est *Sophora biflora*.

Ononis aethiopica, *strigosa*, *virgata*, *prostrata* mihi ignotae.

Anthyllis ononidis, quid?

Glycine prostrata, quid?

Arachis africana est *Glycine subterranea*.

Cytisus aethiopicus, ut nuper didici, debet ad genus *Ononis* referri.

(*) In MSS. legitur *Heisteria scabra*, sed ex contextu satis patet Linnaeum hic significasse *Hebenstreitiam scabridam* prodr. fl. Cap. p. 17.

7 *

Cytisus hirtus ignotus.

Coronilla myrtifolia et *thymifolia* a me non visae.

Hedysarum capense, quid?

Psoralea onoboides et *linearis* ignotae.

Trifolium prostratum ignotum.

Trifolium fruticans est *Psoralea bracteata* B. et debet ad *Psoraleas* referri.

Psoralea cytisoides est species *Indigoferae* vid. Syst. nat. ed. ult.

Lotus mauritanicus debet forte ad *Psoraleas* amandari, cum flores spicati s. racemosi.

Lotus fruticosus, *suffruticosus*, *tenuifolius*, *alopecuroides*, *villosus* ignoti.

Cynara patula, *scabra*, *aculeata*, an *Atractylis* aut *Gorteria?*

Chrysocoma incana, *gnaphalodes*, *pinifolia* mihi ignotae.

Callicornia gnaphalodes. Hanc plantam vidi, sed penitus oblitus sum. An species *Leyseriae?* Ad polyg. superfluam certe spectet.

Tanacetum capense, an possibile hujus generis foliis amplexicaulibus cordatis?

Gnaphalium plenum, *sessile*, *incanum* mihi ignota.

Xeranthemum ramosum, *leucanthemifolium* fol. pinnatifidis, singularia.

Pardisium. Mutes hoc nomen, ne confundatur cum *Perdicii* genere.

Senecio verbascifolius, *lanigerus*, *lanceolatus* mihi ignotae.

Conyza tomentosa non potest esse hujus generis, cum radiata sit.

Cineraria sonchifolia Breyn. *prodr.* t. 21. Citatio non quadrat.

Chrysanthemum ericaefolium ex figura videtur *Osmitis* species.

Buphthalmum leucojifolium, *tenuifolium* ignota.

Amellus tenuifolius, an *Amellus?*

Arctotis aurea, *trifurca*, *rigida*, *asplenifolia* ignotae.

Osteospermum incanum, *rubens*, *dentatum* ignota.

Lobelia Cheiranthus est *Manulea* mantiss.

Lobelia capitata forte *triquetra* mea mantiss.

Myrica ilicifolia, *conifera* ignotae.

In opere Indico *Acanthus maderaspatanus* et *ciliaris* (*) forte una eademque planta.

---

52. Viro Clarissimo

D. D. NIC. LAUR. BURMANNO,

Amico sincero,

S.

CAR. V. LINNÉ.

Distuli diutius, quam par fuit, responsum meum ad tuas amicissimas, ut simul possem regere ad ea, quae gratiose misisti; sed exspectatione frustranea jam fere exhaustus sum, cum navis Amstelodamensis, cujus Gubernator a Te accepit merces ad me deferendas, nondum accesserit Holmiam, et ne quidem fretum transierit, quod distinguit Daniam a Suecia ad Helsingoram.

(*) Flora Indica p. 139 tab. 42 f. 2.

Miror, ubi ille constitit; num naufragium passus, aut quaenam sit itineris mora. Quotidie meus Holmiae amicus adit Telonium Holmiae, et quaerit navem frustra. Metuo, et magnopore metuo, quod perierit; potuisset alioquin diutius et dudum hic adfuisse. Doleo amissas pulcherrimas tuas plantas Capenses et bulbos rarissimos, qui floribus pulcherrimis taedium ingruentis senectutis meae fallerent. Votis quotidie coelum fatigo pro ejus, eorumque felici accessu. Si umquam accedat, absque ulla interposita mora scribam.

Si ulterius Tuis litteris beare non graveris, oro scribas de valetudine venerandi Parentis tui, quem dum vixero magni semper facio et faciam, ut scilicet valeat non modo corpore, sed et animo; num anni seniles eum premant; num valeat adhuc quotidie visitare aegros suos. Quando et quoties vivat in pulcherrimo suo horto, ubi habet tot *Ixias* et affines earum, quae me ex tuo opere in admirationem summam rapiunt. Doleo quod numquam viderim *Cyanellam* vivam.

Dicas mihi, num in ullo horto Hollandico fuerit *Loosa* (Ortega, Feuill. *perut.* t. 53); in Europaeis hortis certe fuit ante duos annos, ubi nunc, certe nescio. Annua planta est. Si ejus semen foecundum mihi dares, nescio quid in mea potestate non lubenter redderem. Accepi siccam, sed vellem prae omnibus aliis videre vivam plantam, adeo singularem.

Calceolariam (Feuill. t. 7. f. 2) ante mensem accepi siccam, e rudimentis fructus extraxi aliquot semina imperfecta; unum tamen germinavit in fenestra mea. Utinam possem in tempus vernale conservare tam teneram

annuamque plantam, ut flores viderem, qui adeo singulares, ut nihil simile viderim. Diandriae monogyniae; corolla *Cypripedii*, sed minuta alba.

Dionaeam siccam etiam obtinui, novam plantam Americanam e paludibus, cum *Drosera* habitans, una cum ejus pulcherrima figura et historia. Folia magis *Mimosa* sensibilia, ut, si Insectum repat aut Musca considéat supra folium, mox conniveat; aristis ciliaribus cancellatim clausis, includit insectum, etiam spinulis paginae superioris retinet, ne elabatur, usque dum lassum quiescat, quo aperitur et captivum sponte dimittit.

Quod nihil e Tuis communicare possum cum Bergio, ex eo concludas, quod ille ne unicam plantam mihi e Capensibus suis umquam monstraverit, quod sanctissime testor et quod, post impressam meam Mantissam, quam apud typographum viderat, edidit sua, immutatis nominibus. *Grubbiam*, quam describit in Actis, male posuit, ubi gemma est ejus calyx, calyx ejus corolla. Feminam non vidit.

Nectandra	ejus	est	*Struthiola*.
Nemia	—	—	*Manulea*.
Melosma	—	—	*Nigrina*.
Dilatris	—	—	*Ixia* tua.
Stilbe	—	—	*Selago*.
Nothria	—	—	*Frankenia*.
Cyphea	—	—	*Lobelia*.
Liedbeckia	—	—	*Cotula*.
Laurenbergia	—	—	*Serpicula*.

Colpoon non potui divinare.

Disam Tu forte vidisti; ego non.

Illicium s. *Anisum stellatum*, quod Angli hodie summo studio quaerunt, et de quo ad plurimos in India scripsere; anne hujus flos siccus occurrat inter magni Parentis tui collectanea? Si hoc, quaeso, mittas flosculum.

Anne posses mihi mittere in literis unicum flosculum *Limei aethiopici*, et *Monnieriae trifoliatae*, ut videam.

Anne in vestram potestatem, qui subjecistis totam Floram Capensem, umquam venit *Fucus*, *Trompetgras* dictus, qui in mari Capiti B. Spei proximo et finitimo, ubique natat et omnibus nautis sese ostentat, qui inde divinant se Capiti B. Spei esse proximos. Ego numquam hoc vidi. Nec novi ullum, qui istum *Fucum* rite descripsit, aut delineavit. An *Fuci* aut *Ulvae* species? Refert tubum stentoriam et possunt eo sonum horrendum edere, ut cum tuba stentoria.

Beckea cordata tua, anne *Hebenstreitia cordata*, sin minus, unicum mihi exorarem florem, ut certus evaderem de genere.

E vili penu mitto aliquot semina pro optimo Parente tuo, forte habeat plurima; mihi gratum, si modo unicum eum reficiat.

Si rescribas, sit titulus Epistolae:

Societati Regiae scientiarum Upsaliae.

Anne etiamnum uxorem duxisti? An successor sis constitutus parentis?

Te valere jubeo cum meis, uxore, filiabus, filio, qui te omnes millies salutant.

Upsaliae 1768 d. 21 Novembr.

Hisce exaratis accepi Holmiae literas, navem desi-

deratissimam tuam in portum incurrisse ad Warberg, littus Suecicum prope Scaniam, ut etiamnum spes sit, navem hoc anno obtinendi, nisi hiems brevi conglaciet mare.

---

53. Amicissime

D^{ne} BURMANNE (*).

Tandem, post mille curas et vigilias, Holmia accepi desideratissimum fasciculum Tuum et quidem ante 5 dies. Pro bulbis devotissimas reddo grates, utinam aliquis horum, hoc vere, flores rarissimos produceret; servi enim eos in ollis fenestrae camarae meae, ut ibi excrescant in tui memoriam. Cum floreant, dicam: has delicias accepi a meo Burmanno.

Celosia lanata Pluk. *phyt.* t. 10. f. 1. est Tua *Iresine persica*, quae ante 2 annos floruit in caldario nostro.

Mitto catalogum plantarum Tuarum. Plantas omnes in aqua calida maceravi, explicavi, exsiccavi, examinavi. Aliquot numeri deficiunt, forte excidere Holmiae, dum merces examinabantur in Telonio:

38. 45. *Phylica radiata*. Duplex est varietas, scilicet flore minore et majore, quae viscosa; vix merentur speciei distingui.

13. *Crotalaria triflora* habet tria folia floralia extra 3 flores, quod singulare; reliqua folia solitaria.

14 *Psoralea repens* Berg., a me antea non visa fuit.

(*) Est epistola Linnaei ad N. L. Burmannum.

39. 37. *Lotus decumbens* habet flores racemosos, (nec umbellatos,) quemadmodum *Lotus filiformis*, quod notabile.

Gnaphalium latifolium; hanc speciem non intelligo; habet folia *Gn. grandiflori*, sed corymbum sessilem, nec pedunculatum; varietas tamen non erit *Gn. grandiflori*.

68. 33. 50. 47. 71 *Senecio longifolius*, duplex varietas; foliis angustis et angustissimis; sed specie distingui nequit.

86 *Serapias capensis* mihi nova erat; omnino *Serapias*.

Gnaphalium latifolium fruticosum, foliis amplexicaulibus ovatis trinerviis, utrinque lanuginosis, cyma sessili.

Caules fruticosi, crassi, ramosi, ramis albovillosis. Folia ovata trinervia conferta sessilia, amplexicaulia, subtus albo-tomentosa, supra villosa, acuta, magnitudine extimi articuli pollicis. Capitulum terminale sessile conglomeratum e calycibus niveis: squamis lanceolatis nitidis. Differt a *Gn. grandifloro* cyma sessili, nec pedunculata, calycibusque diversis. ♄.

Lotus decumbens floribus racemosis, foliolis obcordatis nudis, caulibus filiformibus prostratis. ♃.

Caules filiformes numerosi prostrati, pedales, ramosi laeves. Stipulae lanceolatae parvae. Folia ternata petiolata, petiolo longitudine foliolorum, vix pubescentia. Foliola sessilia obcordatas obovata obtusissima nuda. Pedunculi axilla-

res longi. Flores racemosi absque bractea foliacea. Calyces pubescentes. Legumina sutura dorsali scabra (*).

Artemisia chamomilloides foliis dentato-pinnatis integerrimis caule ramosissimo, paniculis florum terminalibus. ☉.

Habitus *Chamomillae*, subpilosus, raris villis. Caulis ramosissimus spithamaeus: Ramis longitudine caulis, patulis, adscendentibus. Folia parva pinnatifida, dentibus 7 s. 9, oppositis cum impari: dentibus omnibus lanceolatis integerrimis inerme-mucronatis. Flores glomerati, pedicellati in apicibus ramorum et caulis, subglobosi, minus dense congesti.

Serapias capensis foliis ensiformibus conduplicatis laevibus. ♃.

Caulis pedalis simplicissimus laevis. Folia ensiformia conduplicata laevia, in inferiore parte caulis. Racemus terminalis secundus, floribus 11 s. 12 pedunculatis. Bracteae lanceolatae tenerae, longitudine petiolorum. Petala 5 lanceolata laevia erecta. Nectarium declinatum ovatum.

Gnaphalium pedunculatum, herbaceum, foliis spatulatis amplexicaulibus subtus tomentosis, pedunculis elongatis: squamis calycinis acutiusculis.

Caulis herbaceus ramosus. Folia spatulata, sed superiora lanceolata, subtus tomentosa, supra viridia fere nuda. Pedunculi terminales longis-

(*) Cf. infra p. 110.

gissimi tomentosi albi. Florum cyma conglomerata aurea squamis calycinis acutis.

Aspalathus laevigata foliis fasciculatis laevibus linearibus, pedunculis elongatis unifloris apice foliosis.

Caulis bipedalis laevis ramosus. Folia (*Asparagi*) fasciculata linearia tenuissima laevia acuta. Pedunculi laeves foliis longiores, apice foliis fasciculatis; inter quae folia Flos sessilis luteus. Legumen ovato-lanceolatum laeviusculum. Calyx monophyllus dentibus longitudine fere floris. In caule a casu foliorum verrucae remotae tomentosae.

Pro his a Te missis maximas, quas possum, reddo grates. Ut valet venerandus parens Tuus, quem immortali mea veneratione salutes.

Vale. Upsaliae 1768 d. 22 Decembris.

Tuus LINNÉ.

---

54. Amicissimo

D^no^. BURMANNO SUO

LINNÉ.

Respondebam ultimo ad Tuas plantas raptim, nunc itaque paulo diffusius.

4. *Penaea sarcocolla*. Tubus corollae videtur esse satis longus et quidem longior, quam in *sarcocolla;* an itaque *Penaea tetragona* Bergii, quam ego non vidi; nec possum in Tuo exemplari vi-

dere calycem, cuius foliola in *sarcocolla* sunt linearia, in *tetragona* obovata; examines itaque haec foliola in tuis exemplaribus; et simul videas, utrum hae duae foliolis calycinis linearibus et ovatis sint vere distinctae species, nec non.

45. *Phylica radiata*, 38 *Phylica viscosa*, quas ob faciem simillimam judicavi antea fuisse varietates. Examinavi has plantas frutificatione simillimas, sed posterioris discus major est et valde glutinosus: forte itaque specie distingui possunt; quamvis una ab altera olim sit orta. Ad *Bruniae* genus has refert Bergius., sed quo jure non video, nisi quod stylus sit quasi ex duobus coalitus; certe aut erunt hae species *Phylicae*, aut proprii generis plantae, quod determinare nequeo, quamdiu fructus mihi lateat. Structura fructificationis s. floris toto coelo recedit a *Brunia abrotanoide* et *lanuginosa*.

61. *Brunia lanuginosa*, 12 *Brunia abrotanoides* sunt germanae sorores; at *lanuginosa* habet folia linearia *Asparagi*, *abrotanoides* lanceolata *Empetri*.

26. *Crassula cymosa* Bergii est, quam antea non vidi. Bergii differentia quadrat, adde tantum *Crassula suffruticosa* foliis linearibus &c. &c.; cum omnes *Crassulae* distinguendae in fruticosas, perennes et annuas.

78. *Drosera capensis* distinguitur a *Drosera longifolia*, quod in *longifolia* sint folia ovali-oblonga, in *capensi* hac vero lanceolata omnino et subtus scabra, nec subtus laevia.

16. *Aspalathus spicata* fol. fasciculatis setaceis inermibus pilosis, floribus spicatis. Differt ab *Asp. araneosa*, quod flores non in capitulum globosum digesti, sed in rariorem oblongam spicam. Nondum potui eruere synonyma.

13. *Crotalaria triflora*, singularis bracteis 3, in singulis foliorum alis, magnitudine circiter dimidia foliorum.

10. *Psoralea* (non est *aculeata*) *paleacea* Bergii est, quam male dixi *Trifolium fruticans* sp. pl. Exclude in Bergii differentia duo ultima verba *acuminatis ciliatis*.

39, 37. *Lotum decumbentem* in ultimis dixi, at examinavi nunc accuratius et video omnia stamina esse connata, adeoque ad *Ononidis* genus absolute spectat; est mira varietas *Ononidis capensis* sp. pl.

9. *Lotus filiformis* Berg. miratus sum flores racemosos in *Loti* genere, sed neque haec planta *Loti* generis esse potest, cum stamina omnia etiam in hac connata. *Ononis filiformis* pedunculis racemosis longis, foliis ternatis ovatis mucronatis dicenda.

77. *Chrysocoma divaricata*, haec summam habet similitudinem cum *Chrys. aurea*, sed caules proliferi divaricatissimi reddunt plantam facie diversissimam, ut vix crederem esse varietatem. Confer haec specimina cum *comaurea*; hinc dici potest *Chrysocoma divaricata* fruticosa divaricata, foliis linearibus glabris. Pedunculi in hac foliosi, nec nudiusculi ut in *Chr. comaurea*.

7. *Gnaphalium latifolium*, de quo ultimo scripsi: miror eius figuram nullibi occurrere, quamvis videtur species capensis notissima. Habet folia inferiora *Gn. grandiflori*, sed flores sessiles, nec ulla folia angusta in caule superiore.

28, 75. *Gnaph. coronatum*, parva planta radio calycino niveo, inprimis multiplici dignoscenda.

27. *Gnaph. squarrosum* squamis calycis subulatis recurvatis uncinatis.

76. *Gnaph. glomeratum* calycis squamis subulatis parum recurvatis.

29. *Gn. odoratissimum*, cuius folia dense tomentosa.

21. *Gn. paniculatum* Berg. ex descriptione, sed Burmanni t. 80. f. 2 licet simillima, videtur alia ex calyce ferrugineo reflexo.

54, 31. *Gnaph. pedunculare* videtur mihi species antea non rite distincta.

Gnaphal. herbaceum, foliis amplexicaulibus spatulatis enerviis subtus tomentosis, pedunculis elongatis, squamis calycinis acutiusculis, dicendum, florum calyces aurei.

64. *Senecio halimifolius*, licet folia sint fere nuda.

68, 33, 50, 47, 71. *Senecio longifolius*, varians latioribus et angustioribus foliis.

69. *Aster taxifolius*. Folia basi ciliata.

30. *Cotula tanacetifolia* syst. nat. edit. 12ma antea *Tanacetum suffruticosum* dicta, sed flosculi sunt quadrifidi, adeoque generis *Cotulae*.

49. *Gorteria ciliaris*, cujus folia deorsum imbricata.

62, 36. *Othonna abrotanifolia*, perperam ad *Cinerarias* relata a Bergio.

74. *Arctotis paleacea*, quae *Arct. crithmoides* Bergio.
84. *Arctotis angustifolia*, quae *Arct. stoechadifolia* Berg.
66. *Arctotis dentata*, quae *Arctotis pilifera* Berg.
86. *Serapias capensis* foliis omnibus radicalibus ensiformibus, conduplicatis, scapo squamis foliaceis alternis, dicenda.
81. *Asplenium capense*, frondibus bipinnatis, pinnis incisis erosis striatis, terminali attenuata elongata; proxime accedit ad *Asplenium striatum*.

In Tua *Flora capensi* velim observes *Spartium cytisoides* Bergii esse generis *Ebeni*, ut ut alae floris non sint minimae.

Heisteria Bergii est absolute *Polygalae* species. Fructus in hoc genere diversissimus est.

Devotissima mea dicas immortali Parenti tuo.

Upsaliae 1769 d. 12 Januarii.

Etiamnunc neque gelu in terra, neque nix supra terram, neque glacies supra aquam apud nos; exemplo numquam audito.

---

55. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

Professori Botan. Amstel. vere inclyto

S. Pl. D.

CAR. LINNÉ.

Tuas, Vir Amplissime, d. 20 Januarii datas, rite ha-

bui, nec suaviores umquam. Laetor magnopere, quod etiamnum valeas et vigeas. Tantis me involvisti antiquae et infucatae amicitiae documentis, ut viderer me haerere in Tuis amplexibus. Vix dies praeteriit, quin Te cogito, cui, dum vixero, debeo plura, quam alio ullo. Tuas dum quotidie evolvo, obstupesco ad merita Tua: ante Tuum tempus paucissimae exoticae. plantae fuere rite figuris illustratae; jam vero Tua ope plurimae. Vellem, quod numerares, quot plantarum edidisti figuras in *Thesauro Zeylanica*, *Dec. Africanis*, Rumphii *Herbario*, Plumieri *Americanis;* quaeso numeres et communices, quot species figuris illustratae sint in his omnibus simul. Certe nullus mortalium paria praestabit Scientiae. Cum edidisti Catalogum Tuum Indicarum plantarum, quaeso pro amicitia Tua, eum communices.

Cum in epistola Tua perveni ad Filii Tui Clarissimi morbum, exhorrebam, vix ausus legere sequentia; Tibi et Publico gratulor, mihique maxime, de ejus felici restitutione; faxit Deus, ut plenarie reconvalescat; ne morbus relinquat aliquam labem.

Laetor animitus, quod nunc non tantum liceat gratulari Tibi et illi de felici restitutione, sed et de sparta in orbe illustrissima, dum nomine, omine et haereditate Tibi in munere succedat; hoc unicum et ultimum nostrum votum; memini qua laetitia ipse perfusus fui, dum mea sparta concedebatur a S. Rege filio meo. Nunc ex illis, quos voco meos, Professores habeo *Burmannum* Amstelodami, *Beckmannum* Gottingae, *Falk* Petropoli, *Kuhn* Philadelphiae, *Solandrum* Londini, *Fabricium* Hafniae.

Tua ope, et per plantas mecum a Te benevole communicatas, plurimae Indicae et Capenses ad sua genera relatae sunt, quae antea vagae et incertae erant. Dum tu vixeris, qui possides inter mortales summam collectionem siccatarum plantarum ex hisce dissitis regionibus et ego, qui magis in generibus laboravi, quam forte alius, quaeram devotissime, numne velles mecum communicare litteris flosculum ex etiamnunc dubii generis plantis, et spondeo sanctissime, quod Tibi integrum erit nomen cuique generi novo imponendi. Sic potuissemus conjunctis viribus etiamnum aliquid praestare. Quoties Africanas Tuas pervolvo, haesito ad

Rapuntium t. 39. *f.* 1. *Lychnidea t.* 49. *f.* 4.
Crataegus t. 87. *f.* 1. *Leucoxylon t.* 92. *f.* 1. 2.

In Zeylanicis *Chamaelaea* t. 24. an *Leea?*
Ricinocarpos t. 93. *f.* 1. an *Acalypha?*

In Amboinensibus *Casuarinam* utramque habeo exsiccatam, sed absque floribus; si habeas, quaeso, mittas florem; videtur novi generis et *Cupresso* affinis, sed distinctum genus.

Faba marina est *Mimosa.*

Globba, siccam habeo jam cum flore; novi generis est, ad *Diandriam monogyniam* spectat.

Lingoum Pterocarpus; si habeas florem, unicum mihi exoro, cum nondum certus, utrum filamenta sint distincta aut coalita.

Pandani genus, anne umquam vidisti flores? et sexcenta alia.

Millies cogitavi de *Ixiae* affinibus Tuis, quarum

stupendam copiam possides et optavi eas videre apud Te, si non vivas, tamen siccas.

Quaeso, mittas mihi aliquot semina pro futura aestate, si vixero, ut habeam aliquid grati, quo fallam senium meum.

Quaesivi ab omnibus Botanicis *Loosam* (Ortega, Feuillaei), quae fuit in Hortis Europaeis ante duos annos, unde possideo specimen optimum, sed nullus potuit mihi semina procurare; si occurrat in vestra patria, quaeso millies, des mihi unum alterumve, cum nulla planta mihi in hac vita gratior esset visu. Vale.

Dabam Upsaliae 1769 d. 10 Februarii.

---

56. Archiatro

cl. LINNAEO,

(S. D.

N. L. BURMANNUS.) 3 Mart. 1769.

Avidissime, et summa cum animi delectatione, humanissimas litteras, amorem tuum sincerum erga nos testificantes, justo tempore accepimus, ad quas jam diu responsum dedissem, si non valetudinarius, aliquot ante morbi accessum septimanis, omnia, quae moram pati poterant de die in diem distulissem, et sic negligentia mea evenisset quoque, quod tibi, cui praeprimis debebam, cum multis aliis, responsum non dederim; postea, et quidem ante sex hebdomadas, gravissimo morbo, febri catarrhali maligna, oppressus et ad orci fauces

redactus, ex qua summa Omnipotentis benevolentia vix restitutus, nunc denuo reviviscere incipiens et carissimo parenti quasi redditus, inter primas has ad te dare necessarium putavi et summas, quas umquam possum, referre gratias pro communicatis non solum, sed et pro favore singulari, quem mihi in hisce praestare voluisti. Fateri palam debeo, quod ne dimidiam partem sperare ausus fuissem, ac exspectare potuissem, amicitiaeque Tuae me quam plurimum commendo, Deum humillime exorans, quod vitam Tibi in Nestoreos annos protrahat viresque tribuere velit, ut ex ejus operibus ea, quae aliis occulta sunt, nec ab iis tam bene extricari queunt, enucleare orbique erudito communicare possis. Gaudeo, quod bulbi Capenses rite ad tuas pervenerint manus quodque tibi placeant, nec dubito, quin floribus animum Tuum exhilarare possint, quum omni fere anno apud nos efflorescant; mirum tamen est, quod, intra sex annorum spatium, nullas *Antholyzas*, *Brunsvigias, Alethres* receperimus, quorum bulbos quotannis expostulamus, nec plures hoc tempore possidemus species, excepta *Amaryllide bulbisperma,* cujus unicus nobis superest bulbus, cum per biennium ejus bulbulos vel semina, quae mox, postquam decerpseram, terrae commisi, vel liberiori aëri exposita, donec longitudine pollicis progerminare inceperant, plantavi licet, nullus excreverit; an hujus causam enucleare potes?

Hisce includam, vel prima cum navi mittam semina aliquot Indica jam diu tibi destinata, inter quae rariora invenies. Capensia absque dubio habebis omnia fere,

quae possidemus, cum intra triennium ne unica quidem nobis progerminata fuerit planta; absque dubio incuria illius, qui collegit, cum non matura fuerint. A D^no^ Boddart litteras cum fasciculo pro Te accepi, quas prima data occasione transmittam cum navi; nempe opus *Scarabaeorum*, cui nullum, quoad Insecta, par te vidisse confido et operis ejus belgice editi partem. Videtur optimus vir, saltem sedulus; Scabinus est Vlissingae, at Zelandiam reliquit et Ultrajecti medicinae operam dedit; ubi Med. Doct. creatus absque praxi vivit, historiae naturali se totum tradens.

Rogasti in litteris, qualem sortem habeam. Coelebs huc usque cum carissimo meo parente contentus admodum vivo, cum vero in hocce morbo animadverti, quam infaustus fuissem, si absque parente vixissem, in animo habeo sequente autumno, si omnipotens Deus mihi vitam largiatur uxorem quaerere, cum solitudo, quam amavi huc usque, in tam periculoso, ut nunc expertus fui, casu, infelicissima fuisset mihi, qui absque matre et sorore solus supersum, et, licet antea numquam nisi in hocce morbo expertus fuerim, amicorum meorum numerum adeo ingentem, tamen solatio est, si quis morbo afflictus fidum vel sanguine vel vinculo conjunctum sibi habeat procuratorem.

Quoad munus, ante mensem Parenti meo adjunctus fui cum Professoris titulo; nummorum director (*penningmeester*) sum in lacu illo, ubi nostrum praedium situm est, insuper medicus Orphanotrophei civilis (*burger weeshuis*), alterius, ubi illi, quorum parentes religionem non publice confessi fuerint (*aalmoeseniers weeshuis*), se-

num et vetularum (*oude mannenhuis*), meretricum (*spinhuis*) et mendicorum (*werkhuis*). Cumque haud infelici successu Dei gratia in omnibus exerceam praxin, et a pluribus magnatum aestimor, spes mihi superest, fore ut tempore plura acquirere possim, licet multi medici tot invideant. Tam variis multisque obruto negotiis saepe ne horula per diem mihi vacat, ipseque saepius ignoro, quaenam mihi primo eligenda sint, imprimis hisce diebus, quibus pro novo mihi acquisito munere inauguralis absque dubio habenda erit oratio. Aestatis tempore *Floram capensem* elaborare pergam, sique mihi velles permittere plantas tecum communicare, quae mihi obscurae videntur, lubens Tibi ex omnibus, quae in duplo possideo, specimen offero.

Bibliopola Schouten, qui impressit fl. Lapponicam libenter denuo imprimeret, si tuas observationes et additamenta recipere posset. Nuper mecum de hisce locutus fuit; mei caussa vero ne facias rogo, cum mihi dolori foret, si Tibi infausti quid accideret; editio vero, ut apud Te vidi, foret multo auctior.

Gratulor nobis quod novam materiem medicam procurare velis, quodque impressus fuerit Septimus Amoenitatum tomus, quem summopere exoptamus, speroque, quod Salvius primis cum navibus transmittat. Gratissima fuere semina, quibus nos beare voluisti, sique in posterum nobis plura transmittere velis, meritorum Tuorum haud immemor damnum e nostris rarioribus resarcire studebo. Pro praedio nostro exoptarem semina *Cheiranthi fenestralis*, qua in horto caremus, quaeque me illis, quibus apud Te versatus fuerim, diebus admodum delectavit.

Quomodo valet Cl. Tuus filius, de quo nil audio nec video; saepius absque responso litteras dedi, vel, si responsorias acceperim, fuerunt adeo breves, ut de ejus conditione nil comperire potuerim; audivi tamen ex peregrinantibus Cl. filium ex adversa domus Tuae parte coelibem huc usque agere vitam, munereque Professoris tuo loco fungi; si audiero, quod valeat et laete vivat, gaudio mihi erit summo, nunc vero ex ultimis humanissimis ad Parentem datis litteris, certior factus, quod tibi successerit, ex animo et tibi et illi gratulor, sperans, quod sub Parentis tegmine ejus vestigia premat quam diutissime et felicissime sicque immortale sibi acquirat nomen.

Gratissimae sunt animadversiones, quas in plantas et *Fl. Ind.* componere in mei gratiam tibi haud displicuerit; acceptissimum foret, si hisce pergere volueris. Quotquot possim aestatis tempore Tibi subministrare plantas conabor, ut *Fl. Capensis* sub tuis auspiciis, si mihi permittere velis, accuratam absolvere possim, cui nullas addam figuras, nisi quae numquam antea datae fuerint, quas prius, Deo volente, Tuo examini subjiciam.

Variolae hac hyeme maxime grassatae fuere, pluresque infantes exstincti his, ita ut numerus quibusdam diebus *sexaginta* excesserit, boumque strages in plurimis provinciis per aliquot menses saeviit tam horrenda, ut in quibusdam pagis Gelriae paucissimae inveniantur vaccae, plerasque enim corripi, paucasque ex morbo reconvalescere observarunt. Plura tentata fuere absque fructu remedia, praemiumque ab Ordinibus 10,000 floreno-

rum illi promissum, quicunque expertum remedium excogitaret. Brevi horum Anatomen cum quaestionibus de morbi hujus causa et sede in lucem edere suscepit Cl. Camper Groningae Prof. Fuerunt inter medicos, qui novam variolarum curam, quam Sutton et Demsdhale invenerunt et hic adhibere conati fuerunt, inter quos Amstelodami imprimis aliquis eminet, qui fausto eventu hanc peregit, alii contra admodum infelici successu hanc curam absolverunt, quos facti piget; ego, qui a multo retro annis institutam parentis in hocce scelesto morbo curam amplexus sum, incertas generi humano instituendas curas abhorreo, nec mercurialibus hunc morbum depellere cogito.

---

57. Viro Clarissimo

DD. N. L. BURMANNO,

Professori Botanico,

Amico candidissimo

CAR. LINNÉ.

Suavissimas Tuas d. 8 Martii multo cum oblectamento excepi. Quantum fui perterritus ab inclyti parentis Tui literis, dum morbum Tuum mihi describebat, tantum laetatus etiam fui ab hisce Tuis, quod divina gratia plene convaluisti, et animitus Tibi opto omnem felicitatem cum sanitate et quaecunque prospera adveniant.

Grates reddo immensas pro seminibus generose a Te missis, quae floribus suis hac aestate me senem reficiant. *Amaryllis bulbi-sperma* etiamnum bene crescit, et, ut spero, adolebit. Bulbi nulli ex Tuis missis hoc

vere flores protulere, forte proximo anno eos dabunt. Doleo, quod nullam *Brunsvigiam* etiamnum viderim florentem.

D. Bodartius videtur esse vir honestissimus; multum illi debeo, qui opusculum de *Scarabaeis* miserit, utinam Tua ope brevi accederet.

Tibi gratulor ex animo de tot splendidis muneribus. Faxit Deus, ut vires sufficiant Tibi tot oneribus perferendis, ne vires nimium exhauriant.

In oratione inaugurali posses optime eligere materiam de progressu Botanices hujus seculi, et incipere, ubi Hotto desinebat, ut ostenderes plures plantas innotuisse ex Indicis utrisque et Africanis, quam ullo praeterito seculo; quod genera et certiora fundamenta scientiae hoc aevo jacta, quod leges et systemata accuratius pertractata, quod usus, vires in Medicina et Oeconomia etc. etc.

Si velis mittere *Floram Capensem*, antequam prodeat, promitto, quod hoc non facies absque usu, et monebo de obscuris, quae sint optanda pro harum diagnosi.

Per 14 dies totus fui in *Ericis* Capensibus, quas olim plerasque a venerando parente Tuo accepi; Divisi eas in *Ericas*: 1°. antheris (basi) biaristatis et 2°. in (basi) muticis. — Utrasque subdivisi, secundum folia opposita, terna, quaterna, plura.

Certe *Ericis* Capensibus nullum genus Capense et *Gnaphaliis* difficilius et majus, adeoque requiruntur in his notae certissimae. Royenus olim has promisit, sed numquam post haec praestabit.

Filius meus valet; nondum uxorem duxit; successit mihi in munere; tamen doceo publice in Academia per hyemem, ille aestate Botanicen.

Meis quaeso salutes venerandum omnibus Botanicis, mihi praecipue, Parentem Tuum, et me, ut facis, ames.

Upsala d. 24 Martii 1769.

---

58. Amicissime

D[ne] BURMANNE (*).

Petiisti a me semina *Trifolii spadicei*, nescio per quem, ut sererentur in pratis pro fertili foenu. Ut votis tuis satisfacerem profectus sum a domo mea Hamarby ad Walsatia per 2 milliaria Suecica et totum ac integrum cum sudore impendi diem, ut ea legerem et ad te mitterem, quae hic inclusa habes; sed quomodo haec parva planta poterit augere foeni proventum, ego non capio; sed volenti et jubenti Tibi inserviam.

Adjeci aliquot semina (majora illa) pro illustriss. Parente Tuo, quae serat in nemoribus et frutetis suis, cum forte non habeatis *Melampyrum nemorosum*; certe nulla alia magis illustrat splendidissima sua coma umbrosa loca.

Vale, fave.

Dabam Hamarby 1769 d. 8 Augusti.

Tuus

CAR. LINNÉ.

Utraque semina debent hoc autumno seri.

(*) Est epistola Linnaei ad N. L. Burmannum.

59.

(C. LINNAEO,
S. Pl. D.
N. L. BURMANNUS.) 18 Novemb. 1769.

Singularis amoris testimonia fuere litterae, ante aliquot septimanas una cum seminibus *Trifolii spadicei* mihi traditae, ad quas jam diu responsum dedissem, si quaedam fuissent singularia, quas Tecum communicanda habuissem; nunc vero nihil cum occurrat, non diutius differre audeo, quin prosperae meae et carissimi Parentis valetudinis Te certiorem facerem, Tibique debitas agerem gratias pro praestito hac in re amicitiae signo et collocato in colligendis seminibus labore, sique scivissem tantum incommodi horum collectionem Tibi procuraturam fuisse, numquam Tibi proponere ausus fuissem; cum vero credideram amanuensem quemdam ex discipulis hoc, Te jubente, absoluturum, paulo liberius a Te petii praeprimis cum consul Amstelaedamensis hoc me rogaverat.

Primas Botanices lectiones hac aestate pro magna satis auditorum hic loci multitudine absolvi, eadem methodo, quam sequi Tibi placuerit, iis quibus Upsaliae fuerim diebus, ut nempe nominis derivationem quousque extricare potuerim, generum Char. et virtutes plantarum indicarem; doleo vero tam paucas inveniri, qui Botanicen ex professo colunt, quo evenit, ut parumper attendunt, si quid de characteribus, unde dignosci possent, pronuncietur. Vellem quidem in demonstrationibus ea afferre, quae insipidi oleris ad instar praeparati-

one palato grata, sic iis, qui ex colorum speculatione plantas amant, auditu jucunda forent, sed hac in re hucusque destituor nec si methodice pertractare velim, quicquam excogitare scio, quod cum successu proferri posset; si Tibi occurrat, quod in demonstrationibus, ut doctis et indoctis arrideat, afferre solitus sis, gratissimum praestabis officium, si mecum, antea dilectissimo Tuo discipulo, communicare velles; experientia enim docemur serias res non semper serio tractandas esse, quapropter huic quaestioni ut respondeas oro rogoque.

Aloë Americana ex Vera Cruce hacce aestate nostro in horto floruit, quae in speciebus Tuis non designata absque dubio pro varietate *Agaves americanae* habenda erit. Primo hujus anni Julii die folia per spatham removebantur instantisque florescentiae signum dabat; aëre fenestras ambiente, quantum fieri poterat, recluso, de die in diem per *tres* pedes excreverat, donec tandem caldario exstructo, intra 24 horas *quinque* pedum altitudine augeretur ejus scapus et circa finem Septembris *viginti novem* pedum altitudine aequans. Flores conspiciebantur virescentis coloris; quorum plerique tamen abortiere, nec nisi quatuor vel quinque fructum perficere videntur, quod praeprimis infausto autumni aëris climati adscribendum putarem,

Boum epidemica strages horrendum in modum in nostra provincia saevit, nec inoculationibus nec remediis interne adhibitis debellanda videtur, multique credunt hunc morbum eodem modo uti variolae endemicum factum fuisse, cujus venenum adhucdum innotescit. Si observationes instituisti, quibus remediis vincendum foret

hoc malum, gratum mihi foret audire, quaecumque auxilium attulissent, quaeve non. An *Decades* Caroli Linnaei secundi non ulterius continuantur? an verò alio sub titulo Lipsiae impressae fuere? Quomodo valet filius tuus unicus, olim exoptatissimus meus Upsaliae amicus, sed de quo inter biennium nequicquam audivi nec vidi.

Pulcherrima Capensia hoc anno ad nos translata fueere, tam Insecta, quam Plantae siccae, inter quae plūra inveniuntur antea nondum visa, dolendum vero me tot diversae naturae occupationibus detineri, ut huic studio me solum accingere nequeam, quo eveniet, ut *Flora Capensis* tardius, quam par erat, edenda erit.

Junii mense transmisi SchlosseriCatalogum, quem absque dubio recepisti; ex hac collectione plurima pro D^no^ de Geer Toparcha de Loefsta emi, apud quem rariora Indica videre poteris. Nil novi porro communicandum scio; valeas itaque Cl. vir salutatusque a carissimo Parente me favore prosequi pergas.

---

60. Amplissimo Viro

DD. JO. BURMANNO,

Benefactori et fautori antiquo,

S. Pl. D.

CAR. A LINNÉ.

Quoties e celeberrimi Filii Tui litteris percepi Te etiamnum valere, toties summo gaudio perfusus fui; Te enim honestiorem novi neminem, neminem de re herbaria hodie melius meritum.

Ut ut non libenter vacuis meis literis gravarem honorificam tuam senectutem, non possum tamen non mihi unicum adhuc exorare beneficium, et a te ante fata mea etiamnum instrui de una planta singulari: *Perfoliata* foliis oblongis sinuosis, subtus incanis Burm. *afric.* t. 11 f. 2; a te egregie delineata est; simile enim omnino specimen possideo, sed absque umbellis istis duabus lateralibus junioribus. Umbella autem ista media s. maxima etiam in meo specimine est absque staminibus, forte aetate deciduis, adeoque nihil de staminibus novi, utrum alia detur planta mascula, cum et Tuae plantae et umbellae mediae flores antheris destituantur et meae plantae. Pro me itaque, quaeso separes a tuo specimine caute umbellam lateralem, et ad me in litteris mitte, ut inquiram in stamina, qui bona fide eandem remittam mox, sin vero hoc non concedere queas, quaeso ipse oculo armato quaeras antheras.

Plurimam salutem dicas D^no^ Professori juniori, amico meo sincero.

Dicas filio Tuo quod in *Flora* sua *Capensi* depingat *Genistam Sphaericam* Raj. *dendr.* 107 si habeat; planta certe est maxime singularis.

Astronomi Galli, qui fuere ante aliquod tempus in C. B. Spei, plurimas pulcherrimas plantas secum adduxerunt, unde et ego specimina plurima habui.

Vale et fave.

Upsaliae 1769 d. 20 Decembris.

---

61. Clarissime

D^ne Professor (*),

Amice candidissime.

Dixi in ultimis me multas accepisse plantas Capenses a Gallis collectas, dum Astronomi ibi haerebant; harum rariores in altera pagina notavi, quae antea mihi ignotae fuere, quas examinavi et ad Genera retuli cum differentiis. Si me vivo *Floram* tuam *Capensem* edas, possum his augere tuum Catalogum, adeoque oro ne differas, cum Senectus mea non cessat currere cursum suum.

In demonstrando plantas sequor methodum datum in Syst. nat. 2 pag. 12—21.

Theoria Generis, Speciei critica.

Descriptio herbae et fructificationis.

Statio, regio, solum.

Tempus germinationis, frondescentiae.

Calendarium, Horologium, Somnus.

Duratio.

Qualitas saporis, odoris: inde vires.

Usus Medicus.

—— Oeconomicus, praesertim Pan et Pandora.

—— Officinalis: praeparata, dosis etc.

Saluta venerandum Patrem tuum et vive felix.

Scripsi raptim. Hamarby 1770 d. 20 Jan.

CAR. LINNÉ.

(*) Est epistola ad N. L. Burmannum.

PLANTAE CAPENSES

recentes acceptae et descriptae.

Eranthemum parviflorum B.
Salvia colorata S. N.
Antholyza nycthemera.
Schoenus compar.
——— *ustulatus.*
——— *bulbosus.*
——— *capensis.*
Cyperus laevigatus.
Scirpus trigynus.
——— *hottentottus.*
Milium capense.
Dactylis capensis.
Protea parviflora.
Leucadendron divaricatum.
——— *sphaerocephalum.*
——— *cyanoides.*
——— *repens.*
——— *roseum.*
——— *totta.*
——— *pubigerum.*
——— *spicatum.*
Blaena purpurea.
Penaea marginata.
——— *sarcocolla.*
Myosotis fruticosa.
Echium argenteum.
Atropa solanacea.
Chironia lychnoides.
Phylica parviflora.
——— *bicolora.*
——— *stipularis.*
——— *imberbis.*
——— *racemosa.*
Brunia glutinosa.
Evonymus colpoon.
Diosma octofaria.
Thesium spicatum.
——— *strictum.*
——— *euphorbioides.*
Ceropegia angustifolia.
Asclepias dilatata.
——— *crispa.*
Linconia alopecuroides.
Cassine capensis.
——— *barbara.*
Crassula cymosa.
Fritillaria nana.
Hyacinthus pumilus.
Alethris bifolia.
Helonias minuta.
Erica persoluta.

Erica spicata.
——— *cubitalis.*
——— *vagans.*
——— *petiolaris.*
——— etc. etc.
Passerina ericoides.
Andromeda droseroides.
Oxalis integrifolia.
——— *sessilifolia.*
. . . . *capensis.*
Euphorbia capensis.
Limosella diandra.
Hyobanche sanguinea.
Selago fasciculata.
——— *polystachya.*
Buchnera capensis.
——— *cernua.*
Erinus capensis.
Hermannia linifolia.
Geranium crispum.
——— *daucifolium.*
Hibiscus capensis.
Polygala oppositifolia.
——— *umbellata.*
——— *alopecuroides.*
Aspalathus carnosa.
——— *genistoides.*
——— *albens.*
——— *nigra.*
——— *incanescens.*
Aspalathus galioides.
——— *ciliaris.*
——— *laxata.*
——— *lotoides.*
Ebenus capensis.
Spartium contaminatum.
Crotalaria cordifolia.
Ononis capensis.
——— *filiformis.*
Anthyllis capensis.
——— *involucrata.*
Liparia sphaerica.
——— *graminifolia.*
Psoralea spicata.
——— *bracteata.*
——— *repens.*
Glycine monophyllos.
Indigofera procumbens.
——— *sericea.*
——— *angustifolia.*
Chrysocoma patula.
Cacalia pinnatifida.
Athanasia genistifolia.
Artemisia vermiculata.
——— *aethiopica.*
——— *chamilloides.*
Gnaphalium maritimum.
——— *repens.*
——— *latifolium.*
——— *pedunculare.*

Gnaphalium mucronatum.
Xeranthemum virgatum.
Cineraria purpurata.
Gorteria setosa.
Cotula Lidbeckia.
Arctotis tenuifolia.
——— *stoechadifolia.*
Osteospermum imbricatum.
——— *corymbosum.*
——— *junceum.*
——— *ciliatum.*
Lobelia flaveola.
——— *simplex.*
——— *Oederi.*
Serapias capensis.
Elegia juncea.
Myrica aethiopica.
Mercurialis afra.
Cliffortia sarmentosa.
Clutia tomentosa.
Cenchrus pubescens.
Chrysitis ensifolia.
Osmunda capensis.
Polypodium caffrum.
Lichen chrysophthalmus.
Fucus giganteus.
——— *buccinalis.*
——— *triquetratus.*
Ulva lumbricalis.
——— *papillosa.*
——— *tubulosa.*

---

62. Viro Amplissimo

DD. JO. BURMANNO,

Professori Botanico immortali,

Benefactori summo

S. Pl. D.

CAR. LINNÉ.

Accepi heri literas Tuas dulcissimas, quae mihi in memoriam revocarunt veteris Tui in me favoris documenta et fere lacrymas meas exprimebant. Servet Te Deus in seros annos incolumem.

Nullus hodie existit, qui possidet plures plantas sic-

cas, quam Tu et ego. Tu tamen longe plures possides ex India Orientali et Africa. O bone Deus, nisi hodie vetaret loci distantia, quam avide Tuos intuerer Thesauros, in quibus etiamnunc latent tam multae plantae non determinatae, quas sero detegat eruditus orbus futurus.

Nescio quibus verbis affectum et gratissimum meum exprimam animum pro communicatione umbellulae lateralis rarissimae plantae, a me *Hermas* dicendae, toto coelo a reliquis Umbellatis diversae.

Umbella universalis terminalis, ut in aliis Umbellatis, sed umbellulae partiales habent tantum in radio centrali unicum (raro duos centrales) flosculum, reliquis radiis apice quasi truncatis absque omni flore, tamen persistentibus, ut optime delineasti. Flos hic est quidem hermaphroditus, sed antherae tamen steriles absque polline.

Umbellulae laterales (qualem jam misisti) similes quidem sunt, sed omnes radii umbellularum flosculos ferunt, at omnes mere masculos.

Optabam adeo impense videre umbellam lateralem, ut scirem utrum flores masculi essent in eadem aut distincta planta; nunc vidi esse in eadem, et pro his publicas tibi agam gratias.

Indices duos *Amboinensem* et *Malabaricum* (*) numquam audivi exstitisse, aut editos fuisse, minus umquam vidi; oro et precor eos mecum communices, ut

(*) Uterque Index, secundum normam Linnaeanam, conscriptus atque editus est ab *J. Burmanno* Amstelaedami 1769, fol.

queam eos allegare et in Speciebus meis citare, quemadmodum feci cum Cl. Filii Tui *Ind. pl. indicarum*; ut, si species meae umquam post hoc edantur, Botanici inde quaerant eos. Miror maxime, quod nullus umquam de iis ad me scripserit.

Ego, post editum tertium tomum (de Lapidibus) Systematis mei, nihil edidi praeter septimum tomum Amoenitatum, sed totus fui in examinando sicca specimina Indiae utriusque, quae habui in mea collectione.

Recordor: reperi in iis speciem *Hedysari* ex India Orientali foliis simplicibus ovatis argute dentatis, quae gerit in pedunculo flosculos duos, et inde legumina duo minuta monosperma; dum haec floret, habet supra flores bracteam ovatam fornicatam flavescentem, quae absoluta florescentia includit ambos fructus, ne ab avibus conspiciantur et rapiantur, perfecte ut carina floris papilionacei suas antheras, sed in hoc *Hedysaro* carina haec est resupinata, et refert folium aridum et exsiccatum; ne de fructu umquam intra eam cogitent aut inquirant aves.

Amboina prae omni terra luxuriat *piscibus* rarioribus, quorum paucissimi innotuere, utinam ederes eos cum figuris, de quo mecum orant omnes curiosi totius orbis. Nulla pars Historiae naturalis minus est detecta, quam classis piscium; nulla regio pluribus superbit piscibus, quam Amboina. Nullus jam curiosus habet plures ejusmodi pisces; nullus posset plus locupletare scientiam, quam tu, si hos ederes. Utinam possem esse apud Te per 14 dies, non desisterem, antequam ederes, Te exorare et Tecum laborare.

Si velis mecum communicare aliquot plantas Malabaricas aut Amboinenses cum navi primo vere, eas examinabo et bona fide cum descriptionibus remittam; vel si vis aliquem florem mittere in literis, evolvam et characterem remittam.

Anne possides inter Tuas aliquam plantam Capensem, quae habet folia ensiformia, omnia e radice enata, absque caule, fere uti *Acori* aut *Iridis* folia, sed longe minora et angustiora; ex altero margine hujus folii infra apicem producitur fasciculus setarum (saepe auriculorum), quae ejus flos est. Habeo equidem hanc plantam inter siccas; sed non possum rite enucleare germen, ut sciam qualis futurus sit fructus; in altera pagina ruditer delineavi folium (*Chrysitis*.)

Linconia etiam novi generis planta est, quae: coridis folio et spica africanus frutex alopecuroides flore albo. Herm. *Afric.* 7; sub pentandria digynia locanda.

Orobanches simillima planta, sed rubra, ex eodem Cap. bon. spei, quae nullo modo poterit cum *Orobanches* speciebus sociari, sed distinctum genus constituit: *Hyobanche*.

Liparia, quae Genista africana rusci foliis longioribus, floribus luteis in spicam congestis. Genista sphaerica Raj. dendr. 107 novum genus constituit.

Tui memor, dum vixero, semper ero.

Upsaliae 1770 d. 22 Februari.

Saluta amicissimum D. Professorem filium.

Utinam possem videre unicum florem *Peltariae* Garcini, non bene explicatum.

Hermas. Monoecia pentandria.

Feminea umbella terminalis:

Cal. *Umbella universalis* multiplex, hemisphaerica; *partialis* radiis paucioribus, flore orbatis persistentibus; unico centrali florifero.

Involucrum universale polyphyllum, lanceolatum, *partiale* diphyllum, lanceolatum.

Perianthium obsolete quinquedentatum.

Cor. *Petala* 5, ovata, integra, erecta.

Stam. *Filamenta* 5, petalis breviora. *Antherae* oblongae, steriles.

Pist. *Germen* inferum, compressum. Styli 2 erecti; flore longiores. *Stigmata* simplicia.

Per. nullum. *Fructus* compressus subrotundus.

Sem. duo, cordato-subrotunda, compresso-plana, marginata.

Masculae umbellae laterales, communicatae a Cl. Jo. Burmanno.

Cal. *Umbella universalis* ut in feminea; *Partialis*, radiis omnibus floriferis.

Involucrum universale et *partiale* ut in feminea.

Perianthium obsoletum.

Cor. — ut in feminea.

Stam. *Filamenta* 5, corolla non longiora. *Antherae* subovatae, didymae, fertiles.

---

63. Viro Clarissimo

DD. N. L. BURMANNO,

S. Pl. D.

CAR. LINNÉ.

Quas ad me dedisti d. 6 Octobris, pridie habui; ex iis colligo, quod bene valeas cum tua thori socia et filiola, quod laetor et tibi gratulor.

Dum mittas D. Thunberg in Indias, optime facis; vix enim reperies ardentiorem collectorem et avidiorem rariorum plantarum et insectorum; certus sum, quod hoc Tibi cedat in aeternam memoriam; mittere unicum solidum plus est, quam viginti indoctos, ut ut alacerrimos. Absque mea instructione probe novit observare quaecumque occurrant; interim tua instructio secundum Rumphium optima est.

Dixi tantum figuras optimi parentis tui proprias plantarum Capensium optimas esse; quae vero a D. Stell mutuatae, minus bonae sunt.

In Mantissa mea altera, quae ante mensem prodiit, habeo multas plantas pulcherrimas Capenses, quas necessario videbis, antequam edas tuam Floram Capensem; si huic Florae addas figuras rariorum, ut in Flora Indica, optime ages; sed addas tantum figuras earum, quae a nullo antea delineatae sunt, quae tamen plures erint, quam capiat facile libellus. Inexhaustum credo Cap. B. Spei esse plantarum speciebus; certe nulla Flora ditior erit.

Tu petis a me semina, qui utramque Indiam et C. B.

Spei habes jubenda; si ego per amicos accepero unam alteramve plantam, hyeme facile mihi perit. Ego ne quidem possum obtinere *Hydrangeam*, *Calycanthum* &c. quovis pretio.

Dissertatio de *Erica* tibi forte utilis esset; modo eam ad te mittere possem; persuasus sum, quod nullus distinguat *Ericas* Capenses sine accuratissima inspectione antherarum; interim ex eadem dissertatione mitto elenchum specierum, quem multo labore enodavi.

Rudbeckii *Camp. Elysei* tom. 1mum certe numquam obtinebis; plus quam duo exemplaria non prostant: altero in Museo Oxoniensi, altero in Bibliotheca De Geeriana. Ipse certe numquam vidi tertium, nec mihi ipsi umquam procurare potui.

Bone Deus, si liceret cum Immortali Parente Tuo exspatiari per mensem in praedio et horto ejus! esset mihi majus oblectamentum, quam quidquam in hac vita.

Ipsi dicas devotissima mea; ipsi opto senectam longam et viridem, ut ex filio unico et optimo reportet senectae suae solatium.

Spero me brevi obtenturum Conchylia, quibus me beasti; laetabor, si ex omnibus unica nova accedat, et publice Tibi aliquando grates reddam.

Raptim Upsaliae d. 1 Novembr. 1771.

64. Celeberrimis

BURMANNIS,

PATRI ET FILIO,

Clarissimis

S. Pl. D.

CAR. LINNÉ.

Accepi demum, quae diutius Holmiae commorata fuere, dona vestra gratissima, pro quibus grates reddo devotissimas.

Perplacuere Catalogi tam Malabaricus quam Amboinensis, ex quibus primo intuitu licet colligere, num plantas quaestionis sit determinata, nec ne.

Numquam certe eligere potuissetis praestantiorem Apostolum quam D. Thunberg, qui certe est diligens, acutus, submissus et in studium ardentissimus. Si vivat, certe multa praestabit pro tota Historia naturali et ab eo habebitis etiam immortalem nominis gloriam. Si ille poterit adire Japoniam calcabit terram a nullo Botanico antea visam. Junior Gmelinus nunc in Persia haeret, similiter fere antea ignota, et detegit multa.

Mutis ardenter colligit plantas in Mexico.

Koenig detexit quam plurima in Tranquebaria.

Quae Solander detexit in australi orbis parte nondum nota sunt; erunt tamen multa.

Fris edit Rolandri Surinamensia diu relicta.

Forskahleana ad typum jam parantur.

Falk plantarum caussa haeret in remotissimis Regni Ruthenici.

Adeoque nullo tempore ardentiore studio Botanici in promovendo Rem herbariam intenti fuere.

Accepi ab Amicis Anglia plures vivas plantas: *Liriodendron*, *Magnoliam*, *Gardeniam*, utramque *Kalmiam* et plures alias rarissimas plantas, quibus in senio meo delector, sed numquam obtinere potui *Hydrangeam*, *Clethram*, *Iteam*.

Valete et favete.

Upsaliae 1771 d. 8 Decembris.

65.

Cl. LINNAEO

(S. Pl. D.

J. BURMANNUS.) 30 Decembr. 1771.

Ex ultimis tuis litteris laeto animo perspexi placuisse tibi Catalogos Malabaricum nempe et Amboinensem a me non sine multo labore nuper elaboratos et editos, gratesque tibi ago summas pro communicatis ex altera tua Mantissa plantis, quibus augere illos potero catalogos, sed dolendum tua opera nova vix conquiri hic posse, nisi diu jam edita fuerint, praesertim vero dissertationes tuas separatas, ut de *Ericis*, de *Fundamentis Testaceologiae* reliquasque similes, quare si data occasione illas nobis mittere velis, etiam atque etiam illud desideramus.

Ex Anglia quotannis plurimi mittuntur exotici frutices ad exornandas nostras silvulas floriferas, quibus hic varii dilectantur Botanophili, inter quos primae conditionis sunt homines patricii, ita ut Res herbaria in dies

magis magisque excoletur, non tantum a veris Botanicis, sed etiam a nonnullis sagacioris mentis divitibus, qui praedia sua conspicua splendidaque reddere satagunt. In mea silvula quotannis florent maturaque perficiunt semina *Hydrangea* et *Clethra*, quas proximo vere tibi vivas mittere potero cum ipsarum seminibus aliaque rariora ex nostro Horto medico, in quo binae Americanae maximae florent Aloes, una in Caldario, altera sub dio et licet aestas fuerit plerumque pluviosa nec calida, utraque tamen perfecte floruit suosque formavit fructus, quodque peculiare fuit observatu, maxima in caldario locata ex ipsis radicum stolonibus plurimos produxit flores genuinos.

Ex Anglia nuper accepimus Hillii systema plantarum opus magnificum ex 8 constans voluminibus in folio cum figuris ad singulam plantam splendidis, sed, quod doleo, non omnibus justis ac fidis; si habeas illud, inspicias modo *Solandram*, *Xeranthema* aliaque Capensia; edidit quoque in octavo Floram Britannicam cum plurimis figuris, aliaque opera rem Herbariam spectantio, sed cuncta idiomate Anglico, quod maxime culpandum, si enim quisque auctor sua vernacula scribat lingua et edat opera, tenemur plures addiscere linguas, quod non permittit vita brevis reliquaeque res agendae in variis studiorum suorum partibus; doctus sane debet scribere pro doctis in lingua catholica a veteribus olim semper usitata, id est Latina.

Cl. Pallas ex Sibiria nobis misit varia semina cum primo itineris sui volumine, in quo nova genera ac species cum elegantissimis continentur figuris. Inter illa *Falkia* singularis structurae frutex.

D. Thunberg nuper Texelam petiit, ut, quam primum forent venti secundi, iter suum promovere posset ad Caput Bonae Spei, quod felix faustumque ipsi apprecamur, quaeque de ipso nobis significare nobis voluisti, etiam in eo observavimus; illi quaevis praestavimus officia haud vulgaria votoque suo credo majora, speroque eum, si vivus et incolumis suum perficiat iter, communi Historiae naturalis emolumento plurima nova detegere et praestare posse, nec ipsius fidei diffitemur. Inclusam tibi mittimus ejus epistolam ad te ex Texela in navi scriptam, in qua tibi sine dubio significabit honorem et munera ipsi oblata plurimaque commoda ipsi data, non tantum a nobis sed ab ipsis etiam consulibus et magnatibus nostra de causa ipsi faventibus et adjuvantibus.

Valeas vivasque diu felix et incolumis.

---

66. Viro mihi semper sancte colendo

DD. JO. BURMANNO,

Prof. Amstel.

S. Pl. D.

CAR. LINNÉ.

Hodie literas habui a filio Tuo Clarissimo, Professore juniore, in quibus refert quod aeger prorsus fuisti praeterita hyeme, per aestatem sanus, iterumque dira quartana valetudinarius. Doleo quam maxime quod dira febris, in regione adeo febri intermittenti obnoxia, Te infestet hac tua aetate. Si posses exire regionem, et Bra-

bantiam petere per mensem, certe reconvalesceres; si meus esses aeger, darem infusum *stipitum Dulcamarae* per 14 dies, non tamen in qua purgaret dosi, sed proxima; his diebus absolutis, *Cort. peruvianum* in decocto, et satis copiose. Sic curavi hic multos; sine praevia *Dulcamara* frustra laboravi.

Bene et optime fecisti, qui promovisti adeo mascule Thunbergium. Non dubito, quin iste sedulam navabit operam in Cap. B. Spei. Cum redierit, quaeso, des mihi aliquot Insecta Capensia.

Habui discipulum etiam in Cap. B. Spei nomine Sparrman, qui misit ad me aliquot plantas Capenses, quas antea non vidi, sed qui, primis hujus anni diebus cum D. Forstero petiit novas terras australes, ubi Banks et Solander prius fuere; si me salvo redeat, promitto specimina australia. Utinam Tu pro solito favore me beares aliquot plantis rarioribus Capensibus Thunbergianis, quam bene faceres. Immortaliter tu, cum filio optimo, meruisti promovendo iter Thunbergii; utinam ille Thunberg posset Japoniam adire, ubi nullus Botanicus (praeter pauca Kaempferi) umquam fuit.

Utinam proxime te salvum audirem! hoc si fiet, ut in votis est, quaeso me certiorem facias, cum Tua salus in meis summis votis est et erit.

Dabam Upsaliae 1773 d. 5 Octobr. (*)

(*) Hucusque nostra collectio MSS. epistolarum Linnaei. Addo adhuc unam ejusdem epistolam, parum notam, ad Abbatem Duvernoy, quam ea, qua est, humanitate mecum communicavit amicus optimus Vir Clar. REINWARDT ex Diario, cui titulus *Magasin Encyclopédique*, Juillet 1805 n°. 75.

67. Viro Clarissimo
Domino L'abbé DUVERNOY.
S. D.
CAR. LINNÉ.

Litteras tuas V. calend. Martii non ante triduum accepi; me nulli rescribere tibi relatum doleo; certe si decem mihi essent manus, non sufficerent omnibus, qui litteras mittunt; et si hic coram me videres, crederes me nihil aliud agere quam litteras, in quas dilapido et aes et tempus meum.

Isoëtes lacustris, quae copiosissima est Sueciae, nunquam crederem crescere Monspelii, nisi a Te missa fuisset. Dedi ejus descriptionem, figuram et characterem in itinere Scanico. In nostratibus non vidi talem radicem, qualem tu mihi delineasti, quae admodum singularis est; caetera conveniunt.

Philosophiam botanicam dudum scripsi lecto detentus aeger, aliam traderem hoc aevo, nisi senectus me delassaret. *Decimam tertiam systematis regni Vegetabilis* partem, quae hisce diebus prodiit Goettingae, quaeso Tibi compares (de animalibus 12ª editio Holmensis ultima est), si mihi honorem praestes aliqua ex his vestra lingua edere. *Microscopicas tuas observationes* lubenter videbo.

Servet D. T. O. Te, D. Gouanum, D. Cussonem et reliquos ex flora fratres Monspelienses in seros annos et in Sui gloriam.

Dabam Upsaliae 1774 d. 6 Maji.

EPISTOLA DILLENII.

Clarissimo, Doctissimo et Celeberrimo

J. BURMANNO,

Sal. et officia dicit

J. J. DILLENIUS.

Litterae tuae ultimae, cum duabus ultimis Phytographiae Africanae partibus et conditionibus imprimendi Herbarii Amboinensis, rite ad me pervenerunt. Ago gratias pro Phytographia; quod vero Herbarium illud attinet, miserat istius conditiones jam ad me Bibliopola vester et subscripseram simul ac accepi.

Hortus Elthamensis penitus destructus est: multae plantae, postquam floruerunt, semina non perfecerunt; ex annuis et ex perennibus quaedam perierunt jam eo tempore cum Hortum describerem, hinc ipse Herbarium illarum plantarum siccum perficere non potui perfectum. Igitur ex paucis, quae mihi supersunt, misi exemplaria desiderata, quibus adjunxi Angliae indigenas quasdam non vulgares plantas.

Juvenis Philo-botanus, qui Tibi fasciculum praesentem tradet, amicitia mihi conjunctus est, Parentibus optimis natus, qui me multa amicitia et favore prosequuntur. Igitur si ipsi aditum ad Hortum vestrum permiseris, gratum facies et quae ipsi officia praestiteris, in me collata esse scias.

Vale faveque.

Oxonii 1 Nov. 1739.

EPISTOLA AD MICHELIUM.

Doctissimo et Celeberrimo viro
PETRO ANTONIO MICHELIO (*),
Botanices Professori dignissimo
S. D.
JOANNES BURMANNUS.

Ante plurimas menses, jam ultra annum, ni fallor, litteras a te accepi, in quibus me monebas de quibusdam

(*) Lectorem fortasse juvabit novisse ea, quae de acutissimo hocce Botanico summus noster Boerhaavius olim scripsit in epistola ad doct. Bassand anno 1726: »Quae de Michelio »Florentino scribis, miratus sum: novi Virum, quo non est »alius rei herbariae peritior; vivit nemo, qui plures stirpes »primus detexit prius incognitas. Hinc Serenissimus Princeps »Hetruscus creavit eum Botanicum suum. Editurus propediem »est librum super his. Pauper caeterum ipse, nec digno ho»noratus stipendio. Quotannis solet montes, campos, sylvas »pervagari, undique quaerens plantas in Italia. Fuit et in »Germania bis, fuit quoque in Austria, Silesia etc. a multis »annis commercia botanica cum eo colui, singularia multa ab »eo accepi et possideo; plura promisit mihi ob magna merita »sedulo eum colenti." Vid. H. Boerhaave Epistolae ad Joannem Baptistam Bassand Medicum Caesareum. Vindobonae 1778 p. 125. Hisce litteris Boerhaavius subjunxit (p. 126—138) catalogum permultarum arborum, praesertim Italicarum, tandemque (p. 138) finem imponit epistolae dicens: »En . . . stirpes, »quas industria Micheliana detexit in Italia, aut alibi, et »quas vel Latium habet, vel hortus Pisanus: vides inde, quan-

libris, quos pro me emptos curaveras et qui per dominum Gorium ad d[um] d'Orvillium mitterentur, sed frustra de mense in mensem exspectantes in hunc usque diem nondum eos vidimus nec accepimus. Quaenam sit hujus morae caussa nos latet, unde quod saepius jam in animo habui, de hoc te monere volui, ut, si tibi sit opportunum, inquirere velis cur tamdiu retardati, ni modo perditi sint.

Thesaurus meus Zeylanicus, qui rarissimas illius Insulae continet plantas, jam impressus est, ut puto sat nitide cum elegantissimis etiam rariorum figuris. Hujus tibi prima occasione exemplar dono mittam, quod benigne accipias et tuearis etiam atque etiam oro. Vehementer desideramus et alteram operis tui partem hic videre et eo doceri atque delectari; brevi illud proditurum ab aliis jam, et, ni fallor, a Linnaeo audivi, qui plantarum characteres genericos et Floram Lapponicam intra paucum tempus in lucem emittet. Ex praefatione mea videbis, ingens et egregium ad manus meas pervenisse opus, Herbarium nempe Amboncum Everhardi Georgii Rumphii. De testaceis habemus hujus auctoris librum egregium; idem in Ambona diu mo-

»tus ille, qualisque sit in hac nostra arte Vir; mea quidem »sententia facile Princeps," et (p. 143) de eodem. »Hic vero »Vir est artis herbariae ut peritissimus, ita quoque diligentiae »infinitae, simul pauperrimus. In observando accuratus, in »distinguendo prudens, in enarrando fidelis, neque adeo te»mere distinguit, sed recte comperta rerum discrimina adfert." De Michelio plura dicta sunt in eadem epistolarum collectione p. 139 et 140, 145, 151, 257 alibique passim.

ratus et ibidem plantas collegit; descripsit et earum figuras depingendas curavit, non tantum illius insulae sed adjacentium etiam locorum, quod opus sane par est Horto Malabarico, ni multo praestantius, quum accuratiores locupletioresque illarum plantarum contineat descriptiones, virtutes et usus. Diu jam cum bibliopolis egi de illo imprimendo, sed ob splendidissimas figuras et sumptus incredibiles, vix audent illius impressionem suscipere, quum ultra quadringenta millia florenorum forte constaret. Curabo tamen ut lucem publicam videat, in gratiam Botanicorum et Botanophilorum, quocunque etiam modo id peragatur, si Deus modo vires vitamque mihi largiatur benignam et satis extensam.

Occasione hac mitto et tibi rariorum plantarum semina quaedam, quae, ne sero nimis veniant et ut opportuno tempore terrae committi possint, litteris hisce inclusa ad te dare debui; rogans ut si rariores Italiae plantas exsiccatas possis colligere, remittas pro herbario meo augendo, quod, licet satis amplum, illarum plurimas tamen desiderat plantas. Si et semina illarum quaedam addere possis, erit eo mihi gratius.

Interim vale, vir doctissime et celeberrime, Deusque tibi faustam det senectutem prosperamque valetudinem, atque me tui amantem et suspicientem benigno tuo favore et amore prosequi pergas.

Dabam Amstelaedami 10 Martii 1737 (*).

(*) Eodem hocce anno Micheli diem obiit supremum.

EPISTOLA

J. BURMANNI AD DILLENIUM.

Doctissimo

DILLENIO,

(S. Pl. D.

J. BURMANNUS.).

8 Januarii 1738.

Putaveram jam dudum has cum exemplari Thesauri mei Zeylanici tibi, vir celeberrime, mittere atque offerre, ut qui harum deliciarum patronus princepsque merito hujus aevi sis habendus; sed gravissimo diuturnoque morbo, ex multis forte laboribus atque lucubrationibus contracto, impedito, longoque postea itinere recuperandarum virium sanitatisque confirmandae gratia instituto, mihi in causa fuere, ut diutius, quam par sit, propositum meum distulerim; veniam itaque a te, vir doctissime, impetraturus confido, nostrasque has litteras fausto omine atque aequo animo accepturum te apprecor.

Audivi nuper in animo te habere editionem Phytographiae plantarum Africanarum, quarum plurimae certe restant hactenus ineditae nec illustratae, quod egregium sane opus fore auguror; idem thema ab aliquo tempore mihi proposui, ut ex praefatione Thesauri tibi apparebit, sed, quum Praxin clinicam frequenter satis

quotidie exerceam, mutavi quodammodo consilium, ut facilius et promptius promissa possem exsequi; per partes itaque seu, ut vocant, per decades illas edam, quarum prima jam fere est absoluta et impressioni parata, cujus quinque tabulas aeri jam jam incisas lubens tibi hac occasione offero et communico, ut videas, qua ratione opus illud sim exhibendus, sed teneas, vir accuratissime, tabulas has correctionem nondum accepisse et quod jam, ut a sculptore elaboratae sunt, tibi transmittuntur. Sed ne in posterum forte illa exhibeam, quae tu, vir doctissime, in opere tuo jam elaboraveris, fac, si me adeo felicem facere, et publico etiam tutius consulere velis, ut ea, quae operis tui jam sunt absoluta, ad manus meas perveniant, ne bis una eademque, quod Thesauro meo nimis imprudenter accidit, planta publico offeratur. Restant certe adhuc multa et plurima, ut non cogamur bis eadem exhibere, nisi quae melius nota sint et magis perfecta quam primi editoris.

Videbis ex praefatione mea unde plantas, quas plurimas possideo, promem: ad manus scilicet meas pervenit famosus ille codex Witsianus cum toto illius herbario Africano; adde quod insignem etiam collectionem habeam plantarum depictarum in Capite bonae spei cura gubernatoris van der Stell, inter quas plurimae sunt hactenus nondum detectae aut exhibitae, tum et hortus noster publicus quasdam etiam subministrabit, quum plurima exspectem specimina in Africa pro me collecta. Quae simul et tibi usui esse poterunt, lubens semper praestabo et communi bono una si inserviamus, majori cum successu scopo illi satisfacere poterimus.

Si a te deprecari auderem, vellem mihi ex horto tuo instructissimo transmitteres simul semina rariorum plantorum, ut et, si supersit tibi copia plantarum siccatarum in horto tuo Elthamensi accuratissime delineatarum ac descriptarum pro herbario meo supplendo, res esset mihi quam gratissima et officiosissima. Caeterum nil novi habeo, nisi quod *Hortus Cliffortianus* brevi sit proditurus opera Linnaei, cujus alii tractatus sine dubio jam ad manus tuas pervenere. Caeterum longam tibi opto salutem et vitam, communi bono, Botanices decori meoque gaudio, sique me commercio botanico litterario in posterum beare digneris, erit quo maxime delectarer et tibi summopere obstrictus et addictus forem. Vale, vir doctissime, meque favore tuo et consilio prosequi ne dedigneris.

COMMERCIUM LITTERARIUM
HALLERI
CUM
J. BURMANNO.

---

1. Celeberrimo Botanico

D. D. J. BURMANNO,

P. P. Amstelodamensi

S. Pl. D.

A. HALLER.

Generosus et liberalissimi ingenii juvenis A. L. de Hugo hanc ab ignoto homine adferet epistolam et comitem epistolae *Historiam Stirpium Helveticarum* recens excusam, quam Tibi, celeberrimo et indefesso in re herbaria auctori, honoris gratia offero.

Si quid habet juvenis omni amore dignissimus, non male in ipso locabis operam: qui Te propius adire divitiasque horti et collectionum Tuarum cominus perspicere cupit.

Valde cuperem, nisi pudor aliquis obstaret, aliqua ex te exotica semina mendicare, ornamenta pauperis horti, vastissimi, sed in educandis plantis hactenus non felicis. Si vicissim stirpes alpinae siccae et semina ali-

qua plantarum soli Germanici adrident, operam meam offero.

Primum et secundum vol. Tui operis Rumphiani possideo; quot succedent et an aliquid prodiit post haec 2 vol.?

Alias, nisi displicet commercium, fusius scribam, Nunc te salutare et amicitiam tuam flagitare suffecerit.

Gottingae d. 23 Aug. 1742.

---

2. Doctissimo et celeberrimo Viro

D. D. JOH. BURMAN,

S.

A. HALLER.

Non displicuisse labores meos gratus mihi nuntius significavit epistola (*) Tua, qua tuum mihi favorem promittis. Juvenis ille Leidam recta adiit, neque tamen officio suo alio tempore deërit.

Siccas stirpes Alpinas, Thuringicas, Hercynicas Tibi seposui, per aliquam opportunitatem mittendas, ne vasto pretio constent. Jenenses plures exspecto, quae omnes cum amicis communes erunt.

Ego quidem hic satis luculentis vivo conditionibus, neque quidquam desidero in salario aut cathedra, quae mihi concessa est. Sed fuit ingratus discipulus, fuit, inquam, nam abiit, qui me inter et cognatos proximos simultates mihi suscitavit atroces, ut taedia et fastidia

(*) Epistola Burmanni, ad quam hic respondet Hallerus, mihi deëst.

perpetua, quae ab eo tempore absorbui, quovis pretio redimere constituerim.

Si quidem res transacta est, nihil habeo, quod porro moliar. Si nondum est decretum, permitto me benevolae tuae voluntati tuoque mihi ignoto patrono, utramque sortem non iniquo animo excepturus.

Si nihil efficitur, gratus tamen et memor ero tui officii et vicissim demerebor.

Ego nunc totus sum in Anatomicis. Processus peritonaei digitales, testibus plenos, nuper in fetu septimestri inflatos vidi, nescio vero, qui fiat, ut in adulto exeant testes et retro peritonaeum se recondant. Aestate novam dabo et auctam Ruppii editionem (*).

Tu vero vale et me ama. D. 6 Nov. 1742.

---

3. Celeberrimo et humanissimo Viro

J. BURMANNO,

Botanico eximio

S. P. D.

HALLERUS.

Propensae in me voluntatis Tuae manifestissima indicia per D. Ramspeckium, virum Clar. et meum imprimis amicum, laetus accepi. Scripsit Te, vir nobilissime, cum de consilio meo *Orchidum* describendarum

(*) Cf. ALB. DE HALLER, Flora Jenensis Henr. Bernh. Ruppii ex posthumis auctoris schedis et propriis observationibus aucta et emendata; accesserunt plantarum rariorum novae icones. Jenae 1745.

inaudivisses, ex Tuis exoticis Thesauris plusculas ejus classis species liberalissime mihi destinasse, quam Tuam humanitatem gratus amplector, neque omittam publice laudare. Omnes de integro *Orchides* Helvetiae et vicinarum regionum depingi curavi ad vivum, quarum multae numquam depictae fuerant, et in pauca genera *Calceoli*, *Epipactidis* et *Orchidis* distribui, quorum characterem novum e staminibus, in tanta floris inconstantia, sumsi. Magnum vero huic meo labori decus accedet, si per Te Indicae *Orchides* mihi innotescent, quibus penitus destituor, caeterum Italicis, Gallicis, Germanicis, Suecicis et Helveticis satis instructus. Quare ut, quae mihi pro Tua liberalitate destinasti, ad Diedericum et Gerardum Reuss mercatores urbis vestrae, ut mittere velis, officiose rogo. Si quid vicissim rerum mearum, aut stirpes Helveticae et alpinae placere poterunt, nulli deëro officio. Tu vero vale viveque felix et favere perge. Dedi Bernae Helvet. die 5 Mart. 1756.

---

4. ALBERTO HALLERO,

Botanico eximio,

(S. Pl. D.

J. BURMANNUS.)

In tui gratiam ac favorem omnes pervolvi per triduum, quantum tempus permisit, Botanicos meos Thesauros, quosque tibi e re fore et utiles seposui, atque jam tibi, vir doctissime, transmitto, quos tam serena fronte ac-

cipere velis, quam ego cordato animo tibi tuoque usui eos obfero, ea vero lege, ut si ad Operis tui decus fueris iis usus, omnes mihi immaculatos et integros sancte remittas.

Primo itaque invenies 25 distinctas icones ad plantas vivas in membranis delineatas, quae Horti nostri Amstelaedamensis quondam sine dubio fuere incolae, quod ante meum tempus jussu et sumtibus primorum candidorum et liberalium Curatorum fuere depictae, ad quas tamen, quod doleo, nulla nomina, nullas descriptiones adnotationesque inveni, neque tempus hucusque mihi fuit illas investigare, quum a paucis elapsis mensibus eas modo acceperim ac vix viderim et quum plurimis aliis quotidie distractus fuerim, uti facile concludere poteris, occupationibus. Tu itaque, qui in hoc plantarum genere jam es edoctus, facile eas distinguere et denominare poteris.

Secundo quatuor adsunt *Orchidum* Capensium icones, quae in ipso Capite Bonae spei ad vivum sunt depictae, quasque ex ipsis Codicibus jam compactis dilacerare coactus fui, ut tibi inservire possem. Harum tres insuper addidi, quas jam in aes insculpi curaveram, Tabulas, ut ipsarum formas inspicere posses, et commemorare eas valeas, nam has alii destinavi Operi propediem mihi edendo.

Tertio invenies decem siccas *Orchides* in patrio solo Capite Bonae spei lectas, chartae adglutinatas; sed quibus justa nondum adscripseram nomina, quum plurimas Capenses in dies exspectarem plantas, brevique ipsum Oldenlandi herbarium, ab eo ipso ibi quondam collectum.

Quarto Auctuarium addidi Rumphii, quod elapso anno meis impensis impressum est.

Quinto subjunxi primum ac secundum Pl. Americ. fasciculum cum inscriptis conditionibus, ut has in mei gratiam aliis divulgare posset. Tertius jam paratus est et brevi ejus impressio inchoabitur.

Quae omnia haud injucunda tibi fore autumo. Cl. Linnaeus mihi nuper scripsit se Floram elaborare Alpinam; si itaque plantas siccas et vivas Alpinas et Helveticas prima favente occasione per similem mercatorem posses mihi mittere, res esset mihi quam gratissima.

Interim valeas, vir nobilissime et doctissime, vivas diu sospes et felix, resque tuas porro feliciter age, in familiae tuae decus, studiorum ornamentum et emolumentum, amicorumque tuorum oblectamentum et delicias, inter quos si me numerare et colere candide digneris, ego et te, uti jam expertus es, omni cultu et obsequio prosequor.

Dabam 29 Martii 1756.

5.

(J. BURMANNO,

S. Pl. D.

HALLERUS).

Ex itinere in vallem Veragricam plantarum causa suscepto redux reperio, praestantissime Burmanne, partim dona Tua, elegantissimum nempe Plumierii opus et Amboinensem appendicem, tum communicatas In-

dicas *Orchides* et icones specierum Europaearum perquam speciosas. Gratum animum pro his omnibus beneficiis interim verbis testarer, si verba gratitudinem significare valerent, rebus autem, si quae est opportunitas, evincere conabor. Icones ad opus meum de *Orchidibus* Tua cum venia adhibebo, diligentissime vero custodientur, ne quidquam accipiant detrimenti. Ut Indicas adhibere possim vereor, cum staminum machinula, quae mihi characteres suppeditat, non exprimatur. Ego interim progredior et reliquas Helveticas hoc anno addam prioribus, ut nuper *anthropophoram feminam* atque *palmatam alpinam* parum notam. Chomelli etiam icones *Orchidum* accepi, quae in Gallia proveniunt et a D. Simii et Pontedera Italicas exspecto, quo plenissimam, quantum fieri poterit, Europaearum certe *Orchidum* historiam dare liceat. Interim quotannis itineribus ad varias patriae sedes susceptis conor menda et defectus Enumerationis meae stirp. Helv. supplere, ut quam minime vitiosam alteram editionem parare possim. Novas perpetuo inquilinas stirpes reperio et nuper *Scorzoneram* veram Hispanorum radice maxima pilis coronata, *Asclepiadem* flore nigro et *Millefolium* alp. odorum a descriptis meis diversum.

Quae de stirpibus alpinis addis, ita volo mea verba intelligas, humanissime **Burmanne**, ut ne dubites, omnia mea Tibi parata esse, stirpesque prae aliis siccas, quas soleo vertente autumno, post collectas aestivas copias, pro amicis seponere, Tibique, quaecumque mihi mereri videbuntur, omnino mittam. Liceat autem in amicum animum deponere, Linnaei mecum mores et perpe-

tuam in retribuendis mutuis officiis negligentiam, et omissa litterarum commercia, et subversa omnia fere plantarum alpinarum primum a me definitarum nomina et alia Cel. caeterum viri minus bene in me adfecti indicia, non permittere, ut ei porro, post plurima quae ipsi tribui alia, hoc superaddam alioquin a me nullo verbulo postulatum officium. Quare, quae mittam, velim tibi servata.

Vale, Vir celeberrime, et porro me, ut soles, ama. Bernae Helv. 5 Jun. 1756.

HALLER.

---

6. (J. BURMANNO.)

Integerrime utique retro ab anno valui, eximie Burmanne, et nunc quidem recte valeo. Plantarum in Alpibus nuper lectarum fasciculum ad Te misi; erant novae nonnullae, rariores aliae. Nominum loco, quae male pingo, adjeci facilius numeros: si sunt in catalogo, jam impresso, rariorum Helvetiae et ex meis Emendationibus, quae culpa Typographi nondum de prelo prodierunt; utrumque libellum Tibi curabo.

Gratulor cari filii reditum.

Fasciculum, quem praenuntias, exspecto gratus. Utinam optimo Zinnio licuisset *Salviae* genus absolvere, in quo laborabat.

Nihil nuper laude dignum vidi, quod de re herbaria prodierit. Germanos bella impediunt. Galli nescio quo modo in magnis opportunitatibus feriuntur. Saltem sperassem Adansonii opus proditurum a quo exspectassem

plurima. Nunc in suis pseudonymis conchis substitit.

Ego quidem hoc anno petam alias alpes: Chirurgum a me exercitum in summas Grajas alpes mittam: D. la Chenal in vallem Tellinam. Ita sensim patriae meae catalogum complebo, cujus mira variabilis superficies id studium reddit difficillimum.

A Cl. Scopoli aliquas stirpes exspecto, alpium etiam, sed orientalium.

Tu vero vale vir Cl. et me, ut soles, ama. Roche d. 9 Febr. 1761.

HALLER.

---

7. (J. BURMANNO.)

Dedi ad Te nuper, Burmanne clarissime, fasciculum, quo stirpes hujus anni rariores continentur cum catalogo rariorum aliisque libellis, quos desiderasti. Averem autem a Te scire, num exempla 2 et 3 voluminis Physiologiae acceperis, quae Haakius Leidensis Tibi debuit misisse. Nisi misit, velis, quaeso, ab ipso repetere.

Cum neminem nunc habeam, a quo disputationes Leidenses obtineam, faceres pergratam rem, vir Cl., si velles retro ab anno 1760 mihi eas parare, quae anatomici aut physiologici sunt argumenti. Libros facile emo ex bibliopoliis, sed his libellis careo invitus, quos nullis nummis possum comparare.

Ut filius Tuus Clar. Capensem Floram expediet, det Deus, Teque cum ipso sospitet.

Oederianum opus plurimas etiam plantas alpinas continebit. De Gesneriano nescio quid respondeam. Ipsum

opus et tabulas credo apud Cl. auctorem jacere; deëst vero bibliopola, qui opus summo labore natum velit suscipere.

Quas hoc anno expedivi plantas proprio libello dabo descriptas, qui nondum prodiit. Sunt autem rarissimae earumque non paucae novae; summae enim et horridae perenni glacie alpes adeuntur, a nemine hactenus excussae. Et in eo studio pergam aliquot certe annis. Interim Allionius eorum multa in sua stirpium Pedemontii historia edet.

Mihi Physiologiae elementa primo sunt expedienda, deinde ad *Enum. Stirp. helvet.* accedam, quam totam ab imis subversam novam dabo, rejectis potissimum sterilibus synonymis.

Excellentissimus libellus de Venere plantarum a Koelreutero est editus, germanice, alias misissem. Multum superat omnia, quae in ea re hactenus possidemns.

Vale et me, ut soles ama. Roche 21 Dec. 1761.

HALLER.

---

8. J. BURMANNO.

Accepi, Burmanne Clarissime, a filio Tuo, viro egregio, semina, pro quibus Tibi gratias ago. Hortum, nisi alpinas quasdam plantas, non habeo, neque adeo his divitiis uti possum. Quare ea cum bona Tua venia Oedero misi Hafniam.

Hoc anno, post collatum mihi Gubernium Aquilejae, omnino non potui ullo modo plantas meas siccas extricare. Spero hoc vere eum mihi pergratum laborem fo-

re meo arbitrio, neque Tui obliviscar. Ea aestas rarissimas plantas alpinas mihi tribuit, pauciores quidem; semina difficilius colliguntur, cum eo tempore vix absque periculo montes summi adeuntur, quando semina stirpium excidunt.

Emendationum forte V fasciculum, si otium erit, edam hac aestate. Interim ad recolendum magnum opus propius accedo. Non tamen potero prius eo labore defungi, quam absoluta sit Physiologia.

Nuper Tomum I Opusculorum ad Te mittendum curavi, quem Physiologiae Tomus V non valde eminus sequitur. Ego in septimo scribendo laboro.

Hac aestate iterum itinera in ferissimas et altissimas alpes suscipienda curabo. Excessum enim summum frigoris quaerere est necesse, ut novi quid innotescat. Dudum voluissem etiam studiosum hominem in Helvetiae transalpinae tepidis irritis alere; nondum aliquem inveni, qui hoc onus suscipiet, etsi summa inde bona sperarim ex itinere, quod a 1760 eo fieri sumtibus erogatis feci (*).

Vale et me, ut soles, ama. Roche (*) d. 16 Febr. 1763.

HALLER Gubernator aquilejae.

9. (J. BURMANNO.)

Tibi destinatus vir ill. nuper abiit Tomus VIII Physiologiae et ultimus. Doleo, quod eo tempore ignoraverim, etiam T. II a Te desiderari; sed eum alio Tibi curabo tempore.

(*) Voces in MSS. lectu difficiles.

Plantas hoc anno Tibi mittam novas aliquas.
Valde gratum faceres, vir Ill., si Leidenses disputationes Botanici, Anatomici et Physiologici argumenti mihi curares: nummos lubenter rependam.

Multum mihi in rebus ad gubernandam rem publicam pertinentibus est laboris, ut studia mea non parum inde detrimenti patiantur. Sub prelo tamen est T. II. Operum anatomicorum, quo potissimum experimenta ad generationem spectantia continentur.

Tu vero vale, vir ill. et me, ut soles, ama. Bern. 26 Febr. 1766.

HALLER.

---

10. (J. BURMANNO.)

Non deessent forte plantae aliquae siccae, Burmanne optime, sed otium vix invenio, ut distinguam. Notavi tamen nomen Tuum, si quando labores mei leviores erunt.

Accepi Cl. filii *Indicam Floram*, splendidum opus et magno ei futurum decori. Plantas indicas gratus accipiam.

Valde sollicitus sum de botanicis operibus: in bibliotheca eo pertinente occupatus. Si vellet cl. filius libros belgice de re botanica et hortensi editos designare titulis et annis, gratissimum faceret. Quid apud vos agatur, fere ignoramus.

Cranziana nova non vidi, sed Bergium.
In tot novis systematibus id mihi est consuetum, quod genera pene pro arbitrariis, solas species spontaneas

pro firmis naturae operibus habeam, quae quidem, dum synonymon aliquid non triviale additur, semper ad verum ducunt, utcumque novum sit generi nomen.

Tabulam VIII curabo.

Aetatem utcumque fero. Ad plantas tamen legendas excurrere nequeo, et cogor fere rei herbariae renuntiare.

Ita vale et me, ut soles, ama. Bern. d. 19. 1768.

HALLER.

De Knyffii *Goylandia* (*) nihil novi praeter laudes Bmi; averem aliquando plura de eo libro nosse.

(*) G. J. Knyf, *Goylandiae* Lib. II. cum herbarum omnium in eadem regione sponte nascentium enarratione. Amstelodami 1621, 4to.

COMMERCIUM LITTERARIUM

C. CHR. SCHMIDELII (*)

CUM

J. ET N. L. BURMANNO.

---

1. Doctissimo atque celeberrimo Viro,

D. CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIDEL

Professori Clarissimo

S. Pl. D.

IOANNES BURMANNUS.

Ab amico tuo hic peregrinante accepi specimen Iconum plantarum, ipsarumque analysin, quae mihi quam maxime placet ac summa industria et studio elaborata

(*) Aliquas saltem epistolas doctissimi hujus Botanici lectoribus haud ingratas fore confido, ut ita melior ipsis esset notio Viri, de quo sic scribit Sprengelius (in Historia rei herbariae Amst. 1808, vol. II, p. 350) »Eximiis et praeclaris omnino augmentis systematicam plantarum cognitionem »ornavit CASIM. CHRISTOPH. SCHMIDEL, prof. Erlangen»sis, dein Archiater Anspacensis (nat. 1718 † 1793), vir ad »amplificandam rem herbariam natus, tum ingenii acumine »tum indefessa solertia, tum ἀκριβείᾳ incredibili nemini »cedens." Notandum autem Schmidelium in litteris suum nomen nunc sic, nunc vero Schmiedelium scribere.

est. Pro eo tibi, vir doctissime, gratias ago maximas, eritque mihi summa voluptas in posterum reliqua videre tuorum laborum opera, sique Commercium litterarium mecum exercere velis, quantum mihi tempus id permittit, erit mihi summo delectamento.

Interim amico tuo tradidi *Thesaurum* meum *Zeylanicum*, uti et *Decades plantarum Africanarum*, quas tibi dono offero in nominis tui et meritorum tuorum gratiam et aestumationem. Haec eo, precor, accipias animo, quo tibi offeruntur, sincero nempe et candido; sed in hisce meis operibus non istam exactitudinem, neque istam doctrinam reperies, quae in tuis splendent operibus, quod mihi non permisit temporis penuria et frequentis quotidianae praxeos occupatio. Praeterea quoque ab aliquot annis jam insudavi operi Rumphiano, quod ex sex ingentibus constat voluminibus in folio, sane haud multo inferioribus Horto malabarico, cujus tomi quinque jam sunt absoluti et impressi, sextaque nunc imprimitur pars. Faxit Deus, ut finem ejus videam, quod quam maxime desidero.

Unicum praeterea addam votum, si nempe plantas quasdam siccas hic rariores pro Herbario meo supplendo mihi curare velles, erit mihi quam gratissimum. Caeterum Deus servet te diu incolumem in publici commodum ac utilitatem et in familiae tuae splendorem ac gaudium. Vale, vir doctissime, meque amore et favore tuo prosequere.

Dabam Amstelaedami d. 25 Jun. 1748.

2. Viro Celeberrimo,
Experientissimo Doctissimoque,
D. JOANNI BURMANNO,
Professori apud Amstelodamenses Clarissimo
S. D. P.
CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

Quantum mihi suscitaverint gaudium non humanissimae solum litterae tuae, Vir Celeberrime, sed etiam pretiosum munus thesauri tui Zeilanici et Decadum Pl. Afric., quae omnia obtulit mihi tuo nomine amicus meus, ante aliquot septimanas redux factus, vix verbis satis exprimere possum. Potior enim sic ea felicitate, quam a longo jam tempore toties in votis habui, ut nempe ad amicitiam tuam commerciumque litterarium aditus mihi pateat, quem tanta humanitate aperuisti. Opera ista praeclara, tantam tibi apud eruditos conciliarunt famam, ut haec certe ultra meam laudem iam elata sit. Non sine admiratione intueor, quantam dexteritatem eruditionemque ubique monstrasti, tam in ordinandis raris remotissimarum regionum stirpibus, quam extricandis synonymis sententiisque auctorum, quae certe non levis opera est.

Hinc non est, quod eximios ingenii tui proventus levidensibus meis opellis comparare volueris, quae neque perennitatem meritura neque habitura sunt. Iisdem tamen inde praeclarus honos enascitur, si tibi non plane displicent, quin et potens additur stimulus, si ulteriorem tanti Viri adplausum sibi conciliare possunt.

Nescio, an ullo forte tempore paria referre valeam, proxima tamen, quae occurret, commoda occasione non solum reliquas, quot prostant, iconum mearum Tabulas, sed et herbas siccas habebis, quas nostrae et finitimae regiones alunt; omnia, quia parata sunt, nunc addidissem, si moles permisisset. Mittere etiam possum lapides omnis generis, tam minerales, quam figurata, vulgo petrefacta, includentes, si gratam rem fecero.

Thesaurum tuum Rumphianum magnum numquam equidem adhuc vidi, tot tamen ejus laudationes comperi, ut opus nomine tuo vere dignum existimem. Ultimi praesertim voluminis maxima est apud omnes exspectatio, adeoque persuasus sum, non modicam gloriae tuae, quae tanta jam est, accessionem futuram esse, si ultimam manum demum addideris. Deus O. M. integerrimas vires intemeratamque tibi largiatur incolumitatem, quo isti non solum labori sed pluribus adhuc par esse possis. Det tibi, ut diu intersis rebus humanis, in splendidae tuae Familiae prosperitatem, in Rei botanicae, quae tanta tibi debet, incrementum, atque in oblectamentum quorumcumque bonorum, qui te venerantur atque suspiciunt; ex quorum numero si me etiam esse patiaris, me tibi semper habebis addictissimum; plurimum enim me honoratum credo, si me amore tuo non plane indignum judicas.

Vale etiam atque etiam, et me in posterum tanto, quo incepisti, favore prosequi perge.

Dabam Erlangae in Academia Fridericiana ad d. 11 Novembris 1748.

3. Viro Excellentissimo
Experientissimo Doctissimoque
Domino JOHANNI BURMANNO,
Med. Doct. et Professori celeberrimo,
S. P. D.
CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

In malam non convertes partem, Vir Excellentissime, me tardius ad humanissimas tuas litteras respondere, quam ipse putassem. Peregre autem abfui per duos fere menses in Helvetia, eam potissimum ob caussam, ut in reliquias Gesnerianas amplius inquirerem. Me igitur absente feliciter adpulit ad nos fasciculus, quem pro tua in me benevolentia mihi destinaveras. Post reditum eum aperiens, maximo meo gaudio non solum integrum exemplar Thesauri tui elegantissimi Zeilanici, sed et duos novissimos tomos splendidissimi operis Rumphiani, una cum herbis pluribus siccis, raris, mihique exoptatissimis inveni. Imparem omnino me sentio, declarandi verbis, rei convenientibus, animum meum, tibi obstrictissimum, neque adhucdum praevideo occasionem aliquam, qua me tot obligationibus digno modo expedire potero. Sancte interim servabo pignora ista pretiosissima favoris tui, plane singularis et pereximii, neque umquam per totam vitam obliviscar, quantum tibi debeam, Vir Excellentissime, quotque nominibus tibi me devinctum credam. Avidissime statim, sed fugitivo saltem propter rerum copiam oculo, pervolvi ea, quae thesauri hi continent, neque satis admirari possum divitias, largissimamque plantarum, nostris terris num-

quam visarum messem; praesertim cum plures insint, quibus officinae nostrae utuntur, et quibus plenior lux adfunditur hisce laboribus. Invideo fere Rumphii felicitati, cui datum fuit, praesens cuncta et viventia decerpere. Summopere autem aestimo, maximoque in pretio habeo tuam, Vir Excell., dexteritatem, quam in enucleandis et ad sua genera reducendis singulis, quantum fieri potuit in incertitudine interdum non parva, egregie praestitisti. Mihi sane succenseo, haec consideranti, qui herbis vulgatissimis quotannis comtemplandis insudare cogor, quae etsi suas, ut nosti, possideant delicias, tantum tamen forte animum, iisdem objectis sensim nimis adsuetum, non recreant, quantum eae, quae novitate et tot aliis titulis sese commendant. Helveticum equidem iter meum quaedam etiam mihi obtulit non ingrata, dum per montem Pilati, pagum Underwaldensem, Vallemque Haslensem peragravi, et postea Arolae fontes in Grimsulam montem prosecutus sum, quo usque ad summa superato, me in Valesiam demisi, eamque profundius perreptassem, nisi tempestatis incommoda me coegissent, per altissimum Furcam montem in Vallem Urseranam, ex hac demum Tigurum versus, pedem referre. Tantum tamen profeci, ut non solum pleraque, quae in Gesneriani operis reliquis voluminibus, quae primum, Prodromi instar praemissum, excipient, occurrunt, sed et plura alia invenerim, inter quae Musci species est, *Buxbaumiae* omnino adnumeranda, cujus descriptionem molirer, si tempus patitur; figuras enim aliquas in ipsa via confeci. Musci hujus exemplaria statim jam misissem, nisi illo adhuc

opus haberem ad complendas observationes, alia vero occasione non obliviscar. Ipsis autem his nundinis Francofurtensibus partem earum plantarum siccarum, quas conquisivi, ad te mittere ausus sum, etsi probe sciam, te alpinis herbis sufficienter instructum esse, ut voluntatem inde cognoscas meam. De omnibus mittere possum, si desideras, quae nactus sum. Gramina autem quaedam, cum id ex amantissimis tuis litteris intellexerim, adjeci illis; plura autem, et muscorum ampliorem collectionem proxima occasione supplere conabor, cum nunc propter negotia, quae me absente quieverunt, tempus non suppetierit.

Indidi exemplaria historiae inaugurationis Academiae nostrae, cum nesciam, num ea jam ad te pervenerit, et quasdam addidi Dissertationes, apud nos nuperis temporibus ventilatas. Singula aequi bonique consules, neque tam valorem harum rerum, quam potius animum considerabis, quo tibi a me offeruntur; pretiosissima enim ea mallem esse, quam adeo levidensia. Cl. Linnaei dissertatio de *Hybridis* plantis nondum ad nos pervenit, cum difficillimus sit transitus rerum ejusmodi ex Suecia in Germaniam. Exspectandum nobis est novum volumen dissertationum ejus, quarum duo tomi hucusque prodierunt, quos tamen sine dubio nactus jam es; sin minus, operam meam polliceor. Potiores tamen Theses excerptas invenies in Dissertatione Cl. Jo. Gesneri, Tigurini, hic adjecta, in qua singulare *Bellidis* et *Ranunculi* connubium describit, cujus exemplar siccum mihi auctor monstravit, cum Tiguri nuper eum saepius frequentarem. *Cunoniae* genus, praeter nomen, nondum ad notitiam meam pervenit.

Valdopere laetatus sum proposito tuo, Vir Excellentissime, edendi catalogum Horti vestri, toto orbe celebratissimi. Nam cum in describendis et splendide procurandis alienis operibus, plantisque, quas siccas vel pictas modo ob oculos habuisti, tantam collocaveris operam, tantamque praestiteris dexteritatem, quid non exspectari potest de plantis, quae recentes tractare et retractare potes? Prospera quaevis et confirmatam sanitatem ut tibi largiatur summum Numen, ex intimo cordis adfectu adprecor, non pro his solum laboribus, sed et pro plantis non descriptis Plumierianis, Auctuario et Indice Rumphiano, reliquisque in scientiae nostrae incrementum tendentibus operibus, quae tibi proposuisti, et ut filius tuus carissimus, gloriae virtutisque tuae ex asse haeres fiat te superstite in seros usque annos.

Cl. Royeno otium pro absolvenda Flora sua optamur. Vellem ut plantas Prodromi sui insereret, quod absque dubio faciet, siquidem Prodromus in Germania inter rariores libros referri incipiat. Ericetum etiam, cujus meministi, cujusque boni plausus merebitur, cum id genus herbarum peculiari quadam sive gratia sive raritate alliciat, quod satis experior in binis exemplaribus similibus, quae ex tuo favore nactus sum, in quibus considerandis mire oblector, etiamsi de omnibus dicere possim, quibus me donasti, quod mihi quam gratissima sint. Non satis, ut opinor, laudari potest ejusmodi institutum, quando aliquis de generibus singularibus scribit, ita enim optime diluuntur ambiguitates, quibus generales plantarum historiae adhuc satis laborant, et certitudo demum specificaque differentia instau-

ratur. Eam viam pro meis, quamvis exiguis, viribus calcare tentavi, sed institutum propter editoris morositatem et Gesnerianos libros lente procedit. Tres saltem tabulae ultra sex, quas possides, prodierunt, neque impressae adhuc sunt adnotationes et explicationes, ad eas pertinentes; cum autem propediem, ut spero, expedientur, eas proxima occasione mittam. Ita in *Filicibus* a pluribus annis desudo, quas Germania nostra gignit, et in una specie quam distinctissime organa masculina deprehendisse credo, nisi me fallat observatio, etsi repetita pluries. Cum autem pluribus exoticis speciebus, pro complendis generibus, adhucdum caream, difficultates praevideo non leves. Vestrarum vero terrarum ea est felicitas, ut ex omnibus angulis orbis conquirere possitis necessaria.

Cl. Heisterus sub *Brunsvigiae* nomine illustrabit sex, ni fallor, Tabulis, Lilio Narcissum indicum flore coccineo, ut mihi nuper significavit. Cl. Hallerus Goettingensem Academiam reliquit et in patriam se recepit. Utinam quieta ejus patria placidum magis animum ipsi procrearet! Cl. Manetti catalogum Horti Florentini in meliorem formam redigere, et tribus voluminibus propter adjectas observationes comprehendere meditatur, cujus rei me novissime certiorem fecit. Brevem ejus, Horti ejusdem, enumerationem, in 8vo forma emissam, si non possides, mittere possum.

Nollem interim, Vir Excellentissime, tibi molestus esse circa quatuor volumina priora, praestantissimi tui Thesauri Rumphiani. Itaque si commoda occasio ita ferret, ista in Auctione quadam nanciscendi, lubenter

expensas rependam, vel etiam si cum editore rem habere possem, cum ipso convenire tentabo. Fasciculum supra dictum Francofurti tradi curavi mercatori vestrati securo cuidam per amicum, illinc proficiscentem. Si scirem, quos amicos expeditor Dns. Gromée Norimbergae aut Francofurti habet, ejus opera in posterum securius uti possum. Vale caeterum, Vir Excell., etiam atque etiam, cum tota tua spectatissima familia. Vive diu incolumis et prosperrime, meque amare perge.

Dabam Erlangae ad d. 17 Septembr. 1753.

---

4. Doctissimo et celeberrimo Viro (*)
CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIDEL,
(S. Pl. D.
J. BURMANNUS. 8 Maj. 1759.)

Nova mihi denuo supervenit calamitas, octavo nempe superioris mensis die obiit carissima faustoque matri-

(*) In epistola ad Burmannum diei 20 Aug. 1754 inter alia haec scribit Schmidelius: »Altera (nostra) tabula *Marchan-* »*tiae umbellatae* exhibet Anatomen et quidem umbellarum »fabricam aucta magnitudine fig. 1* usque ad 6* et urceolo- »rum in umbellis duplici serie dispositorum habitum; fig. vero »7* usque ad 10* scyphorum et granorum conditionem ab or- »tu usque ad senectutem. Dissepimentum in scyphis neque in »hac neque in aliis speciebus, quale Michelius pingit, um- »quam deprehendere potui; neque meae concordant observa- »tiones in *stellata Marchantia* cum adsertis Michelii celeber- »rimorumque virorum, qui flosculos ex vaginis radiorum »pendulos descripserunt; etsi per plures annos omnes hujus »plantae aetates cautione summa perquisiverim."

monio per 28 circiter annos mihi feliciter juncta, mea dilectissima uxor nomine Adriana van Bueren, ingenii sublimis et candidissimi animi dotibus prae reliquis sequioris sexus excellens, sed corporis viribus minor atque nimis diuturno morbo nec superando malo maxime exhausta et succumbens; quae tamen jam libera ab omnibus mundi calamitatibus perpetua fruitur felicitate ac beatitudine, quam inter tot dolores et adflictiones constanti et intrepido semper animo sibi non modo speravit, sed solida fide etiam exspectavit ob merita salvatoris sui optimi; ita ut ego solus cum unico meo carissimo filio, quinque sobolis residuo, supersim, qui summum mihi est et unicum in cunctis mundi miseriis solatium, totaque voluptas.

Maximas tamen ago misericordi ac clementi Deo gratias, utrosque inter tot vicissitudines, quas per tam longum tempus perpessi fuimus, constanti animo ac firmis corporis viribus, sanitatem obtinere illabefactatam summique Numinis voluntati atque legibus obtemperare, quod ut ad extremum vitae halitum nobis concedatur, summa sit nostrorum votorum norma atque regula.

etc. etc. etc.

5. Viro Experientissimo, Doctissimoque
N. L. BURMANNO, Filio
S. D. P.
CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

Quam gratum mihi fuerit, Vir Praenobilissime, munus tuum litterarium, elapso mense ad me perlatum, verbis vix exprimere possum, idque eo magis, cum exinde cognoverim, te honores medicos, diu meritos, demum adeptum esse, quos tibi iterum iterumque gratulor, et opto, ut in te patrii nominis gloria non perennet solum, sed et indies novo splendore crescat. Quod autem omnium gratissimum fuit, cum intelligam, animum tuum et favorem in me hactenus collatum, adhuc durare, quo me in posterum non indignum habeas, etiam atque etiam flagito. Elegantissimam tuam dissertationem, multi utique laboris, a te in hanc rem collati, indicem, pervolvi magna cum voluptate, et saepius revolvam. Tempus nunc vix sufficit, ut exquiram, num *Geranium Robertianum* 11*dum* C. B. plantam parum in libris frequentatam, etiam descripseris. Sin minus, exemplaria, et ut spero semina, instante vere aut aestate mittam, cum haec species mihi in nostris regionibus deprehensa sit. Turbae interim bellicae, quae superiore aestate etiam nostras regiones tetigerunt, excursiones meas herbarum caussa minus frequentes effecerunt aestivis mensibus, quin et semel ipse cum studiosis meis in periculum adductus fui in via; parum enim abfuit, quin ab Hunnis et Croatis captivi abduceremur, qui nos explo-

ratores crediderunt. Comportavi tamen aliqua, quorum copiam Vobis faciam proxima occasione, cum fasciculi ratio non permiserat, ea addendi.

Gratus quoque agnosco, te non solum in doctissima tua Dissertatione honorificam mei mentionem fecisse, sed et Epistolam meam vobis dignam visam esse, ut una excuderetur, atque Tabula figurarum adjiceretur, in qua conficienda tamen, (nolis autem mihi ideo succensere) sculptor vix ita desudavit, ut ego in elaboranda. Faciendo enim nimis umbrarum, contexit strata et obscuravit eam lenitatem ductuum, quam in vegetabilibus ubique locum habere videmus. Haec autem neutiquam dixi, ac si in te aliquid reprehendere vellem, et omnino confido, te ea in malam partem non esse versurum. Mallem enim quidquid aliud, quam tibi et Excell. Patri tuo semel displicuisse.

Rariores plantas apud vos laete germinare, libentissime percipio. Si quid esset aliquando superflui in vestra ubertate, quam quotannis, ut vidi, ex Indiis accipitis, mirum quantum delectarer, si modo unum alterumve ramulum siccum vel plantam, quarum tanta copia apud Excell. Patrem extra chartas quoque est, interdum mecum benevole communicare velles. Dabo operam, quantum potero, ut me gratum invenias.

Dissertationem de *Blasia*, nuper a me publicatam, his litteris adjungo, ut aliquo saltem modo gratam tibi testificer mentem. Significabis mihi benevole, qua in re tibi inservire queam vel quae in augmentum thesaurorum tuorum cedere possint.

Vale etiam atque etiam, Vir Praenobilissime, et

me favori tuo in posterum commendatum habeas obsecro. Dabam Erlangae ad d. 22 Dec. 1759.

---

6. Viro Excellentissimo, Experientissimoque
D. LAURENTIO BURMANNO,
Botanico consummatissimo
S. D. P.
CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

Post aliquot annorum silentium non possum non, quin hisce litteris te venerari, et pristinam inter nos cultam amicitiam si non renovare, tamen tibi in memoriam revocare susciperem. Hoc meum silentium ne negligentiae aut oblivioni tribuas, est quod enixe rogo. Varii omnino labores, variique casus me fere totum a commercio litterario cum amicis abstinuerunt, praecipue cum a quatuor ad quinque abhinc annos variis itineribus agitatus, extra Germaniam abfuerim. Annum 1773 fere totum et bonam partem anni 1774 in Helvetia et Gallia cum serenissima conjuge Ducis Wurtenbergici transegi. Ab anno 1776 ad 1777 cum principe nostro serenissimo Italiam fere totam usque ad Neapolin, et inde oras maris mediterranei legens, totam Galliam trajeci. In Helvetia moratus, ter in Alpibus fui, semel in Jurae jugo, et praecipue inter Genevam et Lausannam lucum de Joux celebrem visitavi. Bis ad Alpes Sabaudiae, et praeprimis summum Europae, si non totius forte orbis, conum, *Mont Maudit* vocatum, adscendi. Posteriore itinere Vesuvium montem etiam adii, eo omnino tempore, quo flammas et scorias vomeret, et

paullo post torrentem ignitum e visceribus dimitteret. Dolui plurimum, illud tempus, ab herbationibus alienum fuisse; collegi tamen non pauca in locis natalibus, quae horti nostri herbarii studiose colere coguntur. Vidi autem non absque dolore, plantarum studium, si Patavium et Florentiam excipis, ibi non eo fervore amari, quam felicissimum istud solum ferret aut posceret.

Redii ex istis peregrinationibus, sanus quidem Dei gratia, sed bene fatigatus, ut pluribus mensibus opus fuerit ad recuperandas vires, praesertim quia officii mei rationes illique conjuncti labores quiescere nequiverunt.

Memor interim officii etiam erga te mei, non moror diutius, sed exoptatam occasionem arripio, quae se obtulit per D. D. Mullerum, filium collegae olim mei et amici conjunctissimi, Erlangae, ut scis, superiore anno denati, ad vos proficiscentem, quem et tuo favori de meliori commendatum volo. Si qua in re, quae a te aut amicis tuis pendet, quid ipsi commodare velles, me mirum in modum obligabis. Reddet idem tibi meo nomine fasciculum, qui manipulum 1^{mum} iconum mearum integrum comprehendit. Secundus propediem finitus erit, quem commoda quavis occasione tibi offerre non obliviscar. Libellum ut ea mente benevole excipias, qua tibi offertur, enixissime rogo.

Venerandum patrem tuum submisse saluto et precor, ut salvus et incolumis, meique non immemor, diutissime vivat.

Si qua forte apud vos essent exemplaria herbarum ex India aut Capite B. Spei, quibus carere velles; aut

12

semina quaedam notabiliora plantarum in hortis vestris cultarum, plurimum illis me tibi devincies. Haec etenim, quantum vixero, meae sunt et erunt deliciae.

Vale etiam atque etiam, atque favore tuo amicitiaque non plane indignum me iudica. Deus opt. max. servet te, patremque tuum illustrem in seros etiam annos.

Dabam Onoldi ad d. 22 Aug. 1777.

EPISTOLA

J. GESNERI AD J. BURMANNUM ET J. BURMANNI AD J. GESNERUM (*).

1. Excellentissimo et celeberrimo

JOANNI BURMANNO,

Med. Dr. et Professori Amstelodamensi

S. Pl. D.

JOHANNES GESNERUS.

Etsi memoria amicitiae, qua me ante hos 30 annos communibus studiis deditum Leidae amplexus es, numquam animo exciderit, eam etiam subinde per literas instaurare cogitarim, factum tamen est, ut dubitarem multa ad Te scribere, occupatissimum et praxi medica et doctissimis lucubrationibus. Sed animum addidit amicus meus D. Schinzius Med. studiosus, quem superiori proxime anno tam benevole excepisti, ut facile sentirem veteris inter nos familiaritatis memoriam tuo ani-

(*) Sunt et mihi nonnullae epistolae, belgico idiomate conscriptae, Johannis Philippi *Brayne* (sic), medici Gedanensis, filii Jacobi *Braynii*, datae ad J. Burmannum annis 1750-1757, quas vero cum publico communicare minus utile duxi. — De utroque Braynio conferatur Historia rei herbariae Sprengelii (II. p. 141—144), qui *Breynium* scribit, quod vero in ipsius Braynii epistolis aliter legimus.

mo firmiter insedere. Id gratus agnosco et imprimis opto, ut aliquam grati animi testificationem ipso opere Tibi possem exhibere. Si itaque quaedam sint in Helvetia, quae a me proficisci possunt officia, velim ut liberrime mea utaris opera.

Legi, et cum magno fructu et voluptate, quae ab aliquo tempore in incrementum rei medicae, imprimis vero Herbariae a Te luci publicae sunt exposita et admiratus sum tuam in tanta negotiorum mole eruditissimam operam.

Quae mea negotia sint, et qui conatus, id uberrime Tibi coram exposuit meus Schinzius. Aliqua etiam ex specimine tabularum nostrarum Botanicarum dijudicare potuisti. Sed nemo Te melius nostrum institutum promovere poterit communicando vel rariores stirpes siccas vel semina aut picturas; id etiam pro humanitate et benevolentia tua a Te peterem, si modo apud me essent, quibus grata reddere possem officia: quae si forte minora sint, quam ut aliquam apud Te gratiam mereantur, animi tamen gratitudine cedam nemini.

Caeterum cum eruditissimus et excellentissimus D. Ramspeck Med. Dr. et Prof. Basiliensis, in re herbaria et anatomica versatissimus, Iter literarium in Belgium meditaretur, nolui concedere, ut absque literis nostris Te adiret, partim ut liberiori animo Te inviseret, partim ut intelligeret tuam in me benevolentiam semper fuisse maximam. Eum itaque celeb. virum, meritis suis praeclaris tuo favore et amore dignissimum, etiam atque etiam commendo. Vale.

Tiguri d. 27 Jul. 1755.

2. Doctissimo et celeberrimo Viro
D. JOANNI GESNERO,
(S. Pl. D.
J. BURMANNUS).

Honestissimus tuus amicus D. Ramspeck litteras tuas mihi ante aliquod tempus, quum hic moraretur, humanissime tradidit. Duplici nomine illae mihi quam gratissimae fuere, tum quia veteris et integerrimi amici monumenta mihi exstiterunt certissima, tum quia occasionem mihi praebuere familiarissima cum homine erudito et bene merito colloquia exercendi; hic enim quum de tuis meritis et egregio instituto plurima mihi quam jucundissima narraret, inter alia, quum de plantis exoticis sermonem haberemus, mihi indicabat te possidere celeberr. Garzinii (*) herbarium Indicum, cui quum responderem me ipsum etiam quondam ab eodem viro accepisse, quodque quum ipsi praeberem examinandum, obstupuit sane ac quam maxime miratus fuit accuratissimus hic vir elegantiam et integritatem speciminum, quae licet nitidissime fuissent exsiccata et conservata, nulla tamen ipsis adscripta erant nomina; tentavi itaque quid valerem, atque ex omnibus, qui de exoticis et inprimis Indicis commentati fuere, auctoribus collegi plurima nomina, praesertim ex meis ipsis antea editis operibus, ita ut quam paucissimae sint plantae, quibus non justa sua ac genuina adscripsi no-

(*) Cf. de Laurentio Garcin breviter disserentem Sprengelium in Hist. rei herbariae II. p. 274—275.

mina. Continet haec collectio plantas numero 326; desidero jam sane scire, quales tuae sint, quas ex istius viri Herbario possides plantas, an sint aliae quam meae, an vero hasce in duplo habuerit, sique hasce meas Hermannianis, Witsenianis, Pisonianis, iisque, quas quotannis ex Capite Bonae Spei et Batavia accipio, jungo plantis, stupendus sane et incredibilis mihi Indicarum est numerus, quasque per bulbos et semina, quae ex istis insuper accipio terris, quotannis augeo exsiccoque si vegetent ac floreant, ita ut tempore a publicis muneribus et praxi vacuo, ipsarum disquisitio et observatio mihi summam saepius praebeant voluptatem ac recreationem. Praeter haec omnia ingens mihi quoque numerus in promptu est plantarum Capensium, in ipso loco natali a gubernatore van der Stell, jussu et sumptibus consulis Witsenii, depictarum, quarum plurimis justa itidem adscripsi nomina; plurimae tamen adsunt ac praesertim bulbiferae a nemine, quantum scio, hucusque commemoratae vel descriptae.

Hisce accedit elegantissima collectio Iconum Plumerianarum, quas in Antillis olim detexit ac ipse depinxit sedulus hic ac peritus Botanicus, quibus plantis licet nil nisi nuda nomina adscripta essent, tam raras tamque elegantes ipsas habui, ut in meum usum prius hasce elaborare inceperim, saepius dein amicorum ac peritorum impulsu, quum eas vidissent, adhortatus fui, ut in publicum eas proferrem, quarum itaque prodromum seu fasciculum primum tibi per amicum tuum mittere debui ac volui, ut certa tibi essent monumenta

maximae erga te observantiae, gratique animi testimonium.

Adjicio simul huic fasciculo genuinam iconem radicis *Chinae* in ipsa Japana depictam, quam instar adpendicis addidi auctuario Herbarii Rumphiani, quod si non possideas, data occasione, si monere id mihi velis, ipsum hoc auctuarium tibi quoque mittam . . . . . . caet.

EPISTOLAE OEDERI (*)

AD

N. L. BURMANNUM.

---

1. Clarissimo

N. L. BURMANNO,

S. P. D.

GEO. CHRIST. OEDER.

Responsum adhuc debeo litteris tuis jam mense Majo datis, quae mihi adferebantur accingenti me ad Iter Bornholmiense, ex quo superiori mense redux fui.

In Bornholmia insula bonum numerum pulchrarum plantarum pro Flora Danica conquisivi, quarum partem in tertio ejus fasciculo exhibebo. Secundus fasciculus hac aestate prodiit et transmittam proxima data occasione pictum ejus exemplar, quod optimo Patri tuo nomine regio venit.

Nostra quidem regia botanica bibliotheca jam nunc paucis libris uno alterove anno vetustioribus caret, et hic loci pauci sunt botanices cultores simul et satis ad emendos libros divites. Interim si aut optimi tui Patris,

(*) Plures mihi sunt celeberrimi *Florae Danicae* auctoris epistolae, quarum tres modo lectoribus offerendas esse credidi, quia reliquae commutationem plantarum horti Amstelodamensis cum horto Hafniensi et divulgationem Florae Danicae maxime spectant.

cujus omnia majora opera bibliotheca nostra possidet, aut aliorum bonos libros pro Florae meae aliquot exemplaribus commutandos habes, rogo ut eorum indiculum adjecta pretiorum mentione mittas. Dissertationem de *Geranio* et *Wachendorffia* valde desidero.

Hortulani Meese possideo *Floram Frisicam*, sed belgico idiomate scriptam intellectu mihi difficili. Si ejus methodus plantarum ex differentia cotyledonum ab hac Flora diversus est liber, rogo ut pro me seponas. Homo[1] videtur non contemnendus; illudque studium tentandi methodos ex partibus habitus non possum non laudare, persuasus non perfectam iri methodum naturalem, antequam seposita praejudicata opinione de partium fructificationis praerogativa ad habitum et totam plantarum compagem magis Botanici attendant.

Conquisitio plantarum Norvegicarum maxima hac difficultate laborat, quod incolae nulli sunt plantarum cognitione imbuti. Quam primum earum copiam pro horto nostro obtinere potero, partem tibi impertiar.

De adventu seminum novorum Forskahlii ex Arabiae portu *Lahája* dicto, certiores me fecerunt mercatores; horum partem certo habebitis. Maxima pars praecedentium Forskahlii seminum non germinavit; attamen multae bonae et aliquot novae se monstrarunt.

Vale cum optimo tuo patre et perge me amare.

Hafniae d. 3 Sept. 1763. festinante calamo.

2.

Clarissimo

BURMANNO, Fil.

S. P. D.

GEO. CHRIST. OEDER.

Diu est quod litteras tibi debeo, amicissime Burmanne, quas pridem habuisses, si adjectus indiculus prius paratus praesto fuisset. Noli, quaeso, succensere mihi de silentio, aut dubitare sive de amicitia mea sive de grato animo.

Cogitanti saepius de communicandis tecum plantis, quas hortus noster aleret forte vobis deficientes, semper obstitit delectus faciendi incertitudo, cum nihil habeam unde dijudicare possim, quibus careatis, metusque adeo exportandi aquam in oceanum. Mitto itaque tibi indiculum quem vides, indicantem plantas in horto nostro hac aestate obvias; copiam tibi faciam lubentissime earum omnium, quarum nobis est.

Norvegicas saepe a me flagitasti, amicissime Burmanne, et quidem eas ad te mitterem, si ipse in horto haberem, sed crede mihi, et crede Fabritio nostro apud vos praesenti, ex utrisque Indiis et ex angulo terrarum quovis facilius obtinentur plantae, modo sint rerum gnari, quam ex Norvegia, in qua nemo est plantarum studiosus, ut taceam difficultatem legendi rariores in terra, ubi difficillima sane itinera sunt. Quae ipse in itinere meo collegi et subinde ex Norvegia Hafniam misi, Hortulani tum praesentis morosi hominis stupida perdidit negligentia.

Exspectamus autem hoc anno reducem ex Islandia studiosum plantarum gratia superiore anno eo missum, qui sine dubio non solum semina sed et vivaces plantas ex ista Norvegiae simillima terra afferet, tumque tui non obliviscar. Dabo deinde operam, ut idem homo in partem Norvegiae maxime borealem mihi non accessam, Finmarkia dictam, quam glaciale mare alluit, aut in insulas Ferroënses in oceano septentrionali supra Scotiam sitas mittatur, denique stationem in Norvegia fixam operae praemium reportet, in qua per totam deinceps vitam utilis horto regio esse posset.

Forskahlii fatum nosti. Semina ejus ad me nulla alia pervenerunt, nisi quae pariter ad vos et Upsaliam, et ad Millerum, et Jussiaeum et Monspelienses misit, et quantum ex collatis litteris intelligo, in omnibus his dissitis locis, sive quae successus nactae sunt, sive quae spem fefellerunt, plantae eaedem fere fuerunt. Supersunt paucissimae novae, quarum semina pro te seponam.

Scio vos sequi Royeni Prodromum, et secundum ejus methodum instruere hortos vestros, si plantas Royeno non dictas vobis acceptas fore credere liceret, facilis foret delectus plantarum ad vos mittendarum, sed post Royeni librum editum multae in orbe botanico innotuerunt, quarum quae copia vobis sit, non licet dubitare.

Atque nunc sperans amicitiam tuam favoremque redditum mihi iri, si forte longum meum silentium te offendit, cujus peto veniam, et venerabilis tui parentis pariter mihi promittens favorem, sincero animo jubeo vos valere.

Hafniae, 23 Jul. 1765.

3. Clarissimo

NIC. LAUR. BURMANNO,

S. D. P.

GEO. CHRIST. OEDER.

Ante non ita longum tempus accepi Floram tuam Indicam, gratum munus, non solum ob ipsius pulcherrimi operis pretium, sed etiam quod mihi exstat benevolentiae tuae signum.

Proxima data occasione, quae composita jam sarcina exspectat, ad D^{m}. Dull mittam duo picta exemplaria fasciculi 5^{ti} 6^{ti} Florae meae, cum duobus exemplaribus partis secundae elementorum meorum Botanicae, quorum exemplarium alterum reddatur patri tuo, quem mihi maxime venerabilem virum de me saluta, alterum Sturmio (*) inserendum bibliothecae horti vestri, utrumque nomine regio.

Concessum est hoc munus bibliothecae, quam dixi, in gratiam benevolentiae curatorum ejus horti, qui faciles hucusque fuerunt permittendo ut plantae ex eo horto cum nostro communicarentur.

Occupatissimum ambulatoriumque simul vitae meae genus aegre mihi permittit litterarum cum amicis commercium, quod, uti alios, te etiam rogo, ne in aegram partem accipere velis, tanquam pigri ad amicitiam animi indicium.

Suscepi nuper duos proximo anno edendos libros, quibus jam totus insudo, quorum alter erit Prodromus Enu-

(*) Hortulano Amstelodamensi.

merationis stirpium nostrarum, alter Prodromus Sylloges observationum plantarum. Prodromus, inquam, nam nec itinera jam absoluta, nec vitae ratio jam nunc permittit utriusque operis elaborationem perfectiorem; ex altera autem parte efflagitant et impetuose quidem nostri botanophili tales libros, querentes minime satis sibi prospici solis iconibus, neque differri debere post earum absolutam demum editionem, plane omnem de usu doctrinam, et ad agnoscendas plantas necessarium catalogum; potius praeferendos esse, etiamsi nondum ex omni parte exactos, at mature comparentes libellos libris perfectioribus sero nimium et post sua forte fata demum edendis. Itaque obsequendi mihi nolenti invitoque imposita est necessitas.

Adjectam notitiam de Florae Danicae pretio imminuto, et editione properanda, rogo ut apud amicos tuos et bibliopolas monstrare velis.

Vale, et iterum cum optimo parente tuo vale, et utrique mihi favete.

Hafniae d. 2 Jul. 1768.

EPISTOLAE PALLASII (*)

AD

N. L. ET J. BURMANNUM.

I. Celeberrimo

BURMANNO JOHANNIS Filio,

S.

PETRUS SIMON PALLAS.

Quum nunc Leydae sim, ubi per octiduum vel ultra, concinnandarum iconum gratia commorari animus est, quandocunque tibi commodum fuerit, Amstelodamum per aliquot dies commeabo, partim ad notanda animalia Musei Patris liquore servata, partim ad lustranda, de quibus dixisti, Navarchae Amstelodamensis Zoophy-

---

(*) Plures adjeci Pallasii, summi illius Naturae scrutatoris, epistolas lectu, ni fallor, dignissimas. Quamvis enim plura, quae hic dicta sunt, etiam in Pallasii edito itinere (*Reise durch verschiedene Provinzen des Russischen Reichs*, Petersburg 1771—1776, vol. III, 4to) jam publici juris facta sint, epistolae tamen, *in ipso itinere* ad amicum scriptae, mirum quid habebant, quo me legentem alliciebant meamque admirationem augebant erga indefessum illum Zoölogum et Botanicum, qui, per plures annos in desertissimis Sibiriae locis commoratus, sub coelo inclementissimo tot tantaque ad ornandam atque amplificandam Historiam Naturalem praestitit. — Harum itaque epistolarum, quae praeterea multa continent circa *usum* plantarum et distinctionem diversarum specierum caet., lectionem aliis, ut mihi, acceptissimam fore judicavi.

ta atque marina alia. Si itaque verbulo me certiorem facere velis, qua die priori negotio mecum in urbe vacare possis, quaque praedicti Navarchae gaza perlustrare queamus, modo illud non sit ante proximam diem Jovis, praescripto tempore adero, et quodcumque infectum reliqui transigi poterit.

Inveni in Museo Academiae Leydensis *Coryphaenae* illam speciem, e qua immanis illa pinna, quam in Bibliotheca Patris lustrandam obtulisti, desumta est. Siccati piscis icon conficitur, quam secundo Miscellaneorum fasciculo inseram. Vellem longitudinem totius pinnae, secundum mensuram rhenolandicam, ut et longissimi radii et radiorum numerum scire, ut comparationem instituere possim magnitudinis. Si vero otium tibi desit, piscem ipsum mecum Amstelodamum adferam.

Gronovius noster ad te scribet circa plantas Capenses et Indicas rariores, quas ex Herbario nuper Hagae subhastato excerpsit, quasque Florae tuae Indicae inservire posse sperat. Singularis inter alias est una, foliis imbricatis, subulatis, apice incurvis, in quatuor summitate fissa ramos, quorum summa occupat capitulum e foliis intermixtisque floribus quadrifidis, tetrandro-monogynis, semini oblongo fusco insidentibus, intus piloso-papposis.

Celeberrimorum Burmannorum favori hae litterae scriptorem commendent; Pater et Filius, iterum iterumque valete. Datum Lugduni Batav. prid. Calend. Aug. 1766.

Dego hic Leydae in domo Galli cujusdam nomine Delbar, *op de lange Brugge*.

2. Celeberrimo

N. L. BURMANNO

S.

P. S. PALLAS.

Accepi justo tempore amicissimas tuas litteras ad easque jam dudum respondissem, nisi de die in diem spes fuisset, mihi ipsi Amstelodamum venire per negotia liciturum. Superatis tandem, quae hucusque impedimento fuerunt, crastina luce Ultrajecto, ubi per aliquot dies commoratus sum, ad urbem vestram tendere constitui. Die mercurii ergo, si commodum tibi sit, vel matutino tempore, vel post meridiem tecum esse spero. Est mecum Genevensis juvenis nomine *La Roche* (*), rei herbariae amantissimus, qui enixe a me petiit, ut eum ad te deducerem. Cogitat de dissertatione circa classem Ensatarum conscribenda, ideoque plantas Herbarii tui ad eum ordinem pertinentes perlustrare avet. Adferet, quem ipse collegit, Ixiarum et Gladiolorum apparatum, et simul icones quasdam, quibus Dissertationem suam illustraturus est. Si permittas illum mecum adducere, gratissimum facies. Vale et fave.

Dat. Ultraj. 9 Aug. 1766.

(*) Verisimiliter idem est, cujus dissertatio memoratur a Fr. a Miltitz in sua Bibliotheca Botanica p. 97:

Dan. Delaroche, Diss. sistens descriptiones plantarum aliquot novarum. Lugd. Bat. 1766, 4to.

3. Clarissimo

BURMANNO JOH. Filio

S. D. P.

PETRUS S. PALLAS.

Post ultimum tecum et cum venerando tuo patre habitum colloquium, tantum temporis fuit terendum in transigendis quae Hagae erant agenda, inque colligendis sarcinis, ut vix superfuerit dies ad Amstelaedamo valedicendum; anni tempore et privigno imprimis meo ad festinandum iter quam maxime suadentibus. Quae vero mihi ultima Amstelaedami fuit tristissima et non integra dies, ita negotiosa fuit et conscribendis litteris et expediundis ad navem onerariam rebus quae mecum rheda auferre non poteram, ut vix vespere Schlosserum nostrum adeundi superfuerit tempus. Si haec ponderaveris, cogitesque quam iniquo et turbido tunc esse debuerim animo, qui tanta spe excideram, veniam apud te et optimum patrem me impetraturum spero, neglectae valedicendi ceremoniae; qua quidem in re neque negligentiae neque ingratitudinis reum me fuisse scio, sed defectu temporis impeditum. Itaque id unum enixe a te peto, ne male in his de me cogites, persuasusque sis me semper tibi patrique deditissimum et obstrictissimum mansurum, promptumque ad quaelibet heic, quae vobis grata scivero, officia praestanda; et nihil exoptatius mihi unquam futurum, quam crebrae, pro comitate erga me vestra, gratum animum ostendendi occasiones.

Vellem in Botanicis, aliterve utcumque tibi utilis esse; tu ipse melius nosti quae hinc tibi petenda sint, meque certiorem facies spero. Quos tibi debeo aureos nummos sex, quum Actorum Academiae Berolinensis 17 volumina Hagam ad Dn. Sandifort ibidem medicum mittenda habeam, per eundem ut tibi propediem rependantur curabo. Angustia rei pecuniariae in causa fuit, cur eam tibi summulam praesens reddere non potuerim. Tantum enim per triennium Hagae aeris alieni contraxeram, ut illud etiam non omne praesens exsolvere quiverim, eaque mihi nunc cura incumbat.

Nova litteraria nulla rescribenda tibi etiamnum habeo. *Musam* apud nos florescere ex publicis puto novellis perspexisti. Circa Bergii *Floram Capensem* curabo, ut, quam primum prodierit, ad te mittatur. Scripsit ad me medicus quidam Ultrajectimus, nomine Boddaert, de vertendo in belgicum sermonem Elencho Zoophytorum, quem quidem honorem nunquam expectaveram. Vidi et perlegi antequam Belgio excederem tomum I Systematis duodecimum impressi Linnaeani, qui quadrupedia, aves, amphibia et pisces continet, ex Brissonio maxime emendatum et auctum, et passim, ut videbatur, in pejus mutatum quoad methodum, insertisque pro speciebus varietatibus animalium corruptum. Prostat is Leydae apud Wetstenium. — Icones sex Capenses optimi patris tui curiose servo, et quando aptum heic pictorem reperero, sumtis nonnullorum apographis, fideliter remittam.

Superest ut tibi atque candidissimo tuo patri fausta quaelibet per novum, quod inchoaturi sumus, an-

annum, pluresque alios apprecor. Valete optime, meque toto utamini vobis devinctissimo. Dab. Berolini ex domo paterna d. 16 Decembr. A. 1766.

---

4. Celeberrimo

NICOL. BURMANNO

Amico exoptatissimo,

Salutem et fausta omnia

P. S. PALLAS.

Quod ad gratissimas tuas et honorificentissimas litteras tamdiu non responderim, in causa fuere innumera academica negotia; quae me a primo in Russicum mundum adventu meo occupatissimum tenuerunt; Musei praesertim catalogus, quem novum atque castigatiorem conscribere demandatum mihi fuerat; variaque Musei rariora descriptionibus illustrandi cura. Illis nunc laboribus succedit praeparatio itineris physici quadriennis, per orientaliores ad austrum provincias imperii Rutheno-Asiatici, Orenburgensem, Isetensem, et tractus Irtis fluminis instituendi, quod me proximo mense Majo hinc avocabit et amicis exteris omnibus longissime removebit. Idem vero illud pulcherrimam suppeditabit occasionem iisdem amicis physiophilis, qui de me commeriti sunt, gratum non verbis, sed re testificandi animum. Et quum ex litteris ad Gmelinum Botanicum Academiae nostrae datis venerandi tui patris, (quem diu salvum sospitemque praestet Numen, quemque mei memorem esse imprimis gaudeo,) perspexerim vestrum et botanophylaci-

um et hortum Amstelaedamensem in Sibiricis adhucdum Florae donis esse pauperiora, crescit spes fore, ut etiam vobis, peracto itinere gratum et utilem me praestare possim. Et ita, quantum per fidem Academiae datam licet, mehercle ero, et amicis veris omnibus demonstrabo, me non esse, qui per temporis necessitatem forte videri potui, ingratitudinis reum.

Haud memini nos unquam de thesi pro inaugurali orat. botan. seligenda collocutos fuisse, neque igitur materia, si forte aliquam proposui, memoriae recurrit. Si tamen aliqua laudanda mihi est, nulla certe magis arridet, quam plenior de sensu motuque vitali plantarum disquisitio. Adtigit hanc materiam primus Comes, ni fallor, dal Lavola, Italus, in libello cui titulus: *Discorso della irritabilita d'alcuni fiori, nuovamente scoperta*, Venetiis 1764 edito. Varias deinde observationes de motu flosculorum in flosculosis et antherarum in *Opuntia*, *Berberide* et *Cisto Helianthemo* edidit Koelreuter in *Dritte Fortsetzung der Nachrichten, das Geschlecht der Pflanzen betreffend.* Leipzig 1766. 8vo. Tu vero innumeris experimentis novis hanc theoriam ornare posses, ex instructissimo horto collectis. Mihi etiam plurima somni et vigiliarum in plantis phoenomena ad sensum quemdam et vitalem motum potius referenda esse videntur, quam ad mechanicos effectus solis et aëris. Imo succorum in plantis mutatio et praeparatio tota ad oscillationem vitalem texturae vegetabilis forte pertinet. Praesertim mira est, si vera, observatio, quam de *Atractylide* Lobelii Theophrastus habet, eam decerptis tenerioribus foliis succum sanguineum fundere, qui

tamen expressa planta nusquam comparet. Sed haec hic fugitive!

Jam tibi ante iter ultimum ex Europa vale! dicendum est. Fac ut de amico cogites, uti is de te. Et quando gravem Florae Faunaeque Sibiricae divitiis fors reducit, scito mea tibi omnia fore communia. O si tunc per amicos tuos *Capensibus Insectis* dives factus fuisses, quorum mihi superflua saltem redderes! Scias enim de instruenda collectione Insectorum Sibiriae cogitare, quam postea aliis exoticis augere maxima erit voluptas! Si ergo cistulas Capensium Insectorum, quales tecum vidi, accipias, nec ipse tibi servare velis, fac ut bene clausas alicubi abscondas, ne mihi Dermestae aut Physiophili Amstelaedamenses hunc thesaurum praeripiant. Venerando tuo parenti per dignissimum filium me commendo. Tu vero vale iterum, iterumque vale et me, ut facis, amare perge.

Dab. Petropoli d. 10 April. styl. vet. 1768.

---

5. Celeberrimo et Eruditissimo Viro
Amico exoptatissimo,
NICOLAO BURMANNO,
S.
et omnia fausta,
P. S. PALLAS.

Antequam Petropolin abiturus salutarem, paravi ad Schlosserum nostrum, fatis, ut ante duos fere menses audivi, praematuris ereptum, cistam cum libris ab illo requisitis, quibus tibi destinatam Floram Capensem Ber-

gii, et inter ejus folia *Sertularias* et *Fucos* rariores, adjiciebam. Convenerat mihi cum Schlossero, ut ex pecunia, quae mihi in pretium librorum restituenda erat, et tibi debita summula et alia quaedam pars contracti in Belgio aeris alieni exsolveretur. Scripsi, de fato commissae mercatori cuidam Petropolitano cistae sollicitus, ad Schlosserum aliquoties, et adhuc vere; de silentio ejus stupens, admonui, quem ex negligentia mihi deesse credebam. Nunc quum decessisse e vivis audio, crescit sollicitudo de tibi non exsoluta praesertim pecunia. Scripsi omnia fuse ad Dr. Boddaert, Ultrajectinum, tibi sine dubio notum; petiique ut simul cum hacce Epistola tibi omnia exponeret. Si verum est, quod timeo, neque cistam Schlossero delatam fuisse, neque ab illo, quibus apprime volueram, exsolutam pecuniam; tunc aliam inibo viam, qua debitor tuus esse desinam.

Interim ne forte credas me vel fidei datae, vel amicitiae et officii erga te oblitum fuisse, (quorum tamen in omnibus ad b. Schlosserum epistolis memorem tibi me nunciare jussi,) scias me non solum, quod petiisti, plantas pro splendidissimo vestro Herbario colligere coepisse, et praesertim salsas Caspicas bene multas, aliquas etiam novas vobis servare; sed etiam omnium, quae per siccissimam et ardentissimam aestatem matura et non fatua legere licuit, rariorum seminum fasciculum parasse, quem Decembri mense Moscuam ad amicum Mautium M. D. dimitto, qui eundem commendabit privigno suo, Petropoli in familia Ill. comitis Roman Larivonitsch Woronzof viventi, Chirurgo Jahn, ut vel per nuncium, data occasione, publicum, vel, si opportuni-

tas desit per prima, quae vere Petropoli solvunt, Belgica navigia tibi transmittatur.

Celeberrimum et summum Botanicum parentem tuum et mihi semper (spero) fautorem optimum, salutatum volo, et Nestoreos illi annos, viridemque semper senectutem ex animo adprecor, ut reduci aliquando in Europam ipsius olim hospitium dulcissimum repetere mihi liceat. — Quandoquidem vero me tibi promissorum memorem demonstro, facias tu quoque, ut quae insecta plantasve aequoreas et lithophyta dupla acquisiveris, ego jam, tuis fretus promissis, tuto meis adnumerare possim.

De itineris hucusque mei fructu et observationibus plura tibi scriberem, nisi propediem publicanda annua diaria nostra et mea et collegarum omnium in itinere constitutorum inventa fusius patefactura essent. Interim scias me hoc anno Zoologicis inventis perquam felicem fuisse, et collectanea, praeter multa hucusque imperfectissime nota, ditasse Quadrupedum e censu speciebus novis octonis *Lepore pusillo*, *Mustela sarmatica*, *Mure talpino*, *tatarico*, *diagrammo*, *minuto*, *Erinaceo aurito*, et *Sorice fossorio*; avibus novis, *Sterna caspica*, *Pelecano pygmeo*, *Paro rutheno*, *Motacilla rupestri*, *Loxia erythrina*; insectorum vero lectissima cohorte. Plantas etiam novas varias adinveni; praesertim *Salicorniam* unam *foliascentem* novam; *Anabasin* unam in *cretaceis* crescentem *Corallinis* structura et fragilitate simillimam; *Cheiranthum*, *tataricum* dicendum, et plantam singularem, pentandram, seminibus quatuor maximis, peltatis seu margine membrana-

ceo undique cinctis a generibus notis omnibus alienam, cet.

Rescribes mihi per Cel. Boddaertum, qui et tuas et suas epistolas ad sororis meae maritum Brüknerum Berolinum tutissime dimittet. Memento amici per Asiam adhuc per annos vagabundi, interque barbaras gentes historiae naturalis amore jactati. Sit tibi valetudo, et honores et quaecunque optas. Modo mihi favere et amicus esse pergas. Vale.

Dab. in oppido Upha ad Uralenses alpes d. 26 Octobr. 1769.

Ex hybernis, proximo vere has ipsas alpes invisurus et Siberiam aditurus.

---

6. Amico optimo, aestumatissimo, Amstelaedamensium Botanico Celeberrimo

NICOLAO BURMANNO,

prosperrimam Sal. adprecatur

P. S. PALLAS.

Quali me putas gaudio desideratissimas tuas litteras affecisse, e quibus perspicio veteranos in hospita mihi olim terra amicos et fautores adhuc de nobis, medios inter barbaros peregrinantibus, cogitare, et tertia fere parte totius terrae latitudinis diremtos diligere. Certe quo rariores jam nunc exterorum amicorum ad nos perferuntur epistolae, eo majori in pretio, imo gemmis auroque cariores nobis sunt. Habent enim et hoc in se divini meriti, ut nos, qui inter inhospitas et rudes gentes, ipsi quoque paulatim inculti et barbari efficimur,

quasi e sopore suscitent et in priorem statum e languore animum revocent. — Credes tamen, inspecta die hujus responsoriae, me tarde rescribere; sed scias velim epistolam tuam d. 10 Febr. datam, cum apographis priorum epistolarum, quarum anteriorem solam accepi, heri demum (d. 5 Novembr.) Moscua ad me delatam fuisse. Itaque potius expeditus in respondendo vocabor, et hanc omnino laudem apud te mereri volo, duplamque adeo epistolae meae mercedem referre, quae jam ipso gratissimo scriptionis officio scribentem remunerat.

Multa tibi scribenda habeo, sed ante omnia congratulandus mihi es de duplici, quae tibi contigit, fortuna: recuperata, quae periclitabatur, valetudine, et delato munere, cujus, post venerandum tuum parentem, neminem te digniorem Belgica Tyrus exoptare potuisset. Ego tamen, licet de posteriore haud parum, tamen, ut verum fatear, de priore maxime laetor, mihique post ereptum candidissimum Schlosserum tantum adhuc superesse amicum inter bonae fortunae munera gratus agnosco. Det modo Deus, ut mihi olim reduci in cultiores orbis partes amicitia tua et peroptimi celeberrimique parentis tui erga me benevolentia, quam maximi semper feci, perfrui et beari contingat.

Jam nunc tertium in annum iniquum fere Sisyphus saxum volvo et maceror desiderio detegendi nova et mira, quae in rigidis boreaeque vicinis his terris perparce occurrunt. Praeterito, fateor, anno, quum ad austrum, quousque Tataricae rapinae permiserunt, tenderem, ubi ante me nemo Naturae vestigia legerat, cu-

riosa non pauca et nova occurrebant in plantis et animalibus. Hac proxime elapsa vero aestate Sibiriam anteriorem, a Gmelino olim accurate perquisitatem, jussus perlustrans, adeo parum in scientia profeci, ut nisi spicilegia studiosorum ad mare Caspium relictorum, divitiae subterraneae metallicorum hujus regionis tractuum, et spes ulterioris Sibiriae divitias lustrandi consolassent et animum sustentassent, de reditu paene cogitassem; iniqua maxime pluviosaque tempestate et infirmiore quam prius valetudine per totam aestatem conflictatus. Non desunt tamen neque hoc anno Zoologica inventa varia et plantae quaedam novae, *Salsolae* praesertim novae, a studiosis collectae in australibus desertis. Accepi horum opera et fruticem curiosissimum in aridissimo deserto inter Volgam et Jaïkum medio copiose crescentem, humana altitudine, totum virgis longis geniculatis *Ephedrae* similibus adsurgentem, cujus tamen et flores et semina ignoramus. Jussi hoc autumno per delegatos istuc milites horum fruticum aliquem numerum cum radicibus effodi; an non hoc forte modo Petropolin transplantari et observari possit; quod si succedat, etiam tibi olim, quundo redux ero, vivus offerri poterit. — Plantas praeterito anno observatas novas in Diarii sive Itinerarii quod sub praelo est primo volumine descripsi et icones adjeci. Scribo hac ipsa die ad Dn. Joh. Alb. Euler fil. secretarium Academiae nostrae, ut hujus Diarii, quam primum paratum erit, exemplar, tibi transmittendum, reddat mercatoribus a te indicatis Petropolitanis. Jussi autem quatuor exemplaria ad te mitti, quorum unum Gaubio, al-

terum Boddaerto, tertium Sandiforto medico Hagano mittes, et propriae bibliothecae inserer quartum. — Animalium praeterito anno observatorum partem in commentariorum Academiae nostrae volumine quartodecimo invenies. Vereor autem ne Iconum adjectarum chalcographiae pessimae me absente evadant, invidia quorumdam, qui ad mea pessimos artifices eligunt, ut sit in quo malevolentiam suam ostendant. — Verum haec omnia et alia perplurima Petropolin redux auctiora et emendatiora retractabo in Fauna quam paro Rutheno-Asiatica; ad normam Florae Gmelinianae (cujus nunc, ut forte nosti, quatuor tomi prodierunt et absolverunt opus) elaboranda; quae quidem non erit orba novitatis et curiositatis variae decore; attamen non talis, qualem mihi quondam Capensem speraveram, et qualem dare possem, si in calidas regiones iter fuisset, ubi felix peregrinator singula vestigia inventis novis signat, et minori, quam ego, labore, opimos sibi parat honores. Quoties ego amissam, propter insanum parentum amorem, spartam illam dolui; quoties juvenilis imprudentiae me accusavi? — Sed sorte sua acquiescendum est.

De seminibus ad te mittendis etiam hoc anno, ante acceptam tuam epistolam, cogitavi. Quaecunque ergo notatu digniora, infestissimo per continuas pluvias et inclementissimo anno, corradi potuerunt, accipe. Misi et praeterito anno ad te seminum fasciculum in australioribus lectorum. An vero acceperis, et an tarde accepta succreverint semina, ignoro. Hoc anno non omnia tunc missa iterato adjici potuerunt; aliqua tamen e prioribus invenies v. gr. *Nitrariam*, *Glycyrrhizam pu-*

milam, novam ni fallor speciem, et alia. Reliquas *Glycyrrhizas* hoc anno non accepi, potero tamen alio forte, si poscas, anno mittere. Quum proximo anno orientalioris Sibiriae in australibus inter Irtin et Jeniseam versaturus sim, non ignobilem in futuram hyemem spero fore seminum collectionem. Hoc unicum doleo, me rarissimarum et copiosissimarum salsarum plantarum, quibus Caspicae regiones abundant, semina paene nulla obtinere potuisse, quia sero demum autumno omnes fructum maturant. In frigidiori autem Sibiria, ubi versor, quamvis loca salsa, et saliti lacus abundant, tamen vix aliae plantae, praeter *Tripolium*, *Salicorniam herbaceam* vulgarem, *Chenopodium maritimum*, *Kali* vulgare, et *Salsolam prostratam*, crescunt. Sed tantus me tenet amor horum in genere vegetabilium, ut forte in reditu, sub hyemem aliquando, hominem meo sumtu versus mare Caspium dimittere constituerim, propter eorum semina legenda.

In litteris tuis de *Rheis* variis quaesivisti. Doleo autem, me hactenus nondum in loca, ubi variae hujus generis species praesertim nascuntur, Sibiriam scilicet ulteriorem, seu orientaliorem pervenisse. Unicum *Rheum Rhaponticum*, cujus tibi semina nunc mitto, copiosissime provenit in australioris Tatariae campis vastissimis, limoso-arenosis, subsalsis et aridis, ubi primo vere cito succrescit planta, floret, semina maturat, intraque aliquot septimanarum spatium et perit, difflaturque a ventis, ita ut nullum radicis vestigium supersit, nisi area rotunda, quam folia texerant, et ubi nulla unquam plantula alia excrescit. Radicem ve-

re et Russi et Kirgisii rapaces effodiunt ad medicinam et tingendas pelles atque lanas, quo ultimo in usu analogam pariter substituunt radicem *Statices tataricae*. In Gurjevensi fortalitio, quod ad ipsum ostium Jaïci in mare Caspium exstructum est, scorbutus omni vere, propter salsas paludes et marinum aërem, endemius est; incolae vero *Rhapontici* propullulantis herbam acidulam avide legunt, et in olere vel jusculis, imo et crudam comedunt, citissimeque convalescunt. In omnibus campis ad Tanaïn, Volgam et Jaïcum crescit hocce *Rheum*, nusquam autem supra 50^{mum} latitudinis gradum. Qui borealiores regiones colunt Russi, substituunt illi tenuiores, sed subsimiles *Rumicis alpini* radices, qui per totam quoque Sibiriam, ubi in herbidis crescit, cum *Veratro*, pro vermifuga veterinariorum medicina venit. — *Rheum palmatum*, quod vobis Gorterus ex horto Petropolitano adtulit; certo certius et certissime veri Rhabarbari pater est. Dicitur in finitimis Sibiriae montibus altaïcis s. aureis, inter fontes Irtis et Jeniseae spontaneum, ut in Mungaliae Chinensis montosis provenire, et valles apricas incolere; et haec ego loca, proxima aestate, licet vitae cum discrimine, adire tentabo. *Rheum palmatum* in horto Moscuensi curiosus qui huic praeëst Pharmacopoeus, gente Germanus, satis educavit, et areolas integras eo plantatas habet; jam in decimum annum fere quotannis transplantans, unde robustissimas radices obtinuit. Neque dubito in Europa Rhabarbarum feliciter, locis aptis, coli posse; fert enim Russiae hyemes sine ullo fere tegmine, et ipsa est inclementioris climatis planta. — Oblitus sum tibi dice-

re, ut ad Rhaponticum, cujus semina mitto, adtentior esse velis. Mihi spontanea planta diversa visa est, foliis praesertim in latum orbiculum expansis, undulatis.

Ceterum vellem, ut mihi e Flora Sibirica vel Speciebus plantarum novis excerptum Elenchum, per mercatores, quos indicasti, remitteres, unde mihi constaret quarumnam tibi desint in horto vel grata esse possint semina plantarum Sibiriae. Si novae occurrerint, earum quidem nec monitus semina lecta mittam. In genere vero, quando Petropolin rediero multa potero et ex horto, interim culta, tibi procurare, praesertim discedente post iter absolutum in patriam Gmelino secundo, (qui nunc in Persia hyemat; at socius ejus, de quo dudum non audivi, in Georgiam cum exercitu abiit, immensae spei juvenis, nomine Güldenstaedt.) Mittam tunc et totius Herbarii, quod colligo, essentiam quasi, et petrefacta, aliaque fossilia et curiosa, quae partim in tuam rem facient, partim cum curiosis aliis commutari poterunt.

Jam finem impono epistolae, et in calce tibique parentique tuo plurimum venerando fausta et tranquilla omnia animitus adprecor, meque commendo amicitiae et benevolentiae, qua me hucusque amplexi estis, exoptatissimae atque honorificentissimae. Valete optimi, meque deditissimis vestris adnumerate.

Dabam in Fortalitio Tschelaba ad Mjäsum fl. in Tobolin defluens, Isetensis Provinciae praetorio oppido, ex hybernis d. 6 Novembr. 1770.

7. Amicissimo

BURMANNO

fugitivo calamo Sal. mittit

P. S. PALLAS.

Si argumentum amicitiae est crebrius per epistolas colloqui, de mea certe erga te non est quod dubites, lubensque saltem hoc testimonio deditissimum animum tibique, parentique tuo per saecula celebrando, demonstrare adlaboro. Accipis nunc, licet tarde, semina fruticis, de quo in prima ad te epistola mentionem feci, Botanicis hucusque plane incogniti, in desertis Tatariae australioris arenosis provenientis, quem florentem nondum observare potui, interim tamen nomini amici nostri Falkii dedicavi. Calmucci illum *Torlok* appellant et e durissimo trunco radicis in arenam descendentis fistulas tabacarias exsculpunt. Eadem radix recens dissecta copiose fundit mucum seu gummi elasticum, dulce, multo magis quam tragacantha intumescens et mucilagineum, quod ope aquae e rasura ligni adhuc copiosius extrahi potest. Semina alata circa nodos seniorum ramorum fasciculatim haerent, et miro fruticis habitu adjecta satis demonstrant nullius noti generis esse plantam. Clima, ubi crescit, aestate est aridum et calidissimum, et quamvis hyemes satis rigidas ferat, tamen tibi consilium addo, ut partem seminum in cistis arena sublimosa repletis seras, ita ut a rigore hyemis defendi possint. Namque nemo forte unquam denuo adibit regiones, ubi lecta sunt haec semina, et forte nemo unquam

botanicorum fruticem nostrum in solo natali videbit, nisi tua cura in horto adolescat. — Jam sarcinas colligo ad suscipiendum iter secundum Irtis fluvium; exspecto tamen epistolas quae me certiorem reddere debent de missione exercitus levis armaturae, qui propter profugas e Rutheno Calmuccicas turmas in desertum australe tartaricum instante vere mitti debet, et quem sequi constitui, non sine maximo, si fortuna faverit, artis emolumento, per regiones nulli hucusque physiophilo peragratas, plantis et viventibus rarissimis et ignotis feracissimas. Spero enim exercitum usque ad Araliensem lacum et ad Oxum usque fluvium penetraturum. — Falkius ante tres dies huc venit, et iter in Sibiriam ulteriorem, meo consilio, parat, semper licet valetudinarius et hypochondriis laborans miserrime. Salutat te ex animo, variaque tibi semina missurum se promittit. — Vale tu, parensque tuus, quem venerari tunc demum desinam, quando vitae ultra metam cursu pervenero. Valeatis diu in augmentum et decus scientiae, gaudiumque amicorum et solatium, quorum e numero me quoque esse sincerrime semper gaudebo. Gaubio, Allemando et Boddaerto, itemque Meiero physiophilo vestro occasione data me commendes deditumque animum significes. Exemplaria Diarii seu Itinerarii mei pro te atque Gaubio, proque Sandiforto jamjam reddita esse mercatoribus Blom et van Santen confido, nisi forte secretarius Academiae nostrae per aliam occasionem transmiserit.

Dab. e Fortalitio Trinitatis ad Ujum fl. d. 20 Mart. 1771.

8. Celeberrimo et amicissimo

N. BURMANNO,

S. Pl. D.

P. S. PALLAS.

(Pauca initio epistolae omissae sunt.)

Inter missa semina praesertim curam geras *Astragalorum*, inter quos novas forsan species deteges, omniumque plantarum quas tanquam novas, vel saltem dubias inscripsi. Unius etiam *Cucubali* semina immiscui, sed notare oblitus sum, alpini, fruticulosi, et forte non descripti, licet in rupestribus montium Altaïcarum abundet. De *Falkiae* seminibus iterum moneo illa in arenosum solum esse serenda, sicciusque habenda, et hyeme curanda, ne tenerae pereant plantae; namque frutex hic curiosissimus in regione satis calida, et fervidos inter arenosos colles habitat parvaeque regioni adscripta est. Observavi ejus hoc anno flores, in transmissis a Jaïco siccis speciminibus, qui sunt minuti, decandri, pentapetali; germine tribus stylis instructo. Aliquot hac aestate, secundum Irtin iter faciens, plantas novas inveni, quarum semina colligere haud potui. Curiosissima ex his est *Convolvuli* species frutescens, canis *Elaeagni* foliis, ramis patentissimis, spinescentibus, floribus supra ramos erectis, calyce tripartito. Alia, Umbellata in arenis crescens, maxima, ad *Echinophoras* accedens. Tertia, *Salsola* herbacea brachiato caule, foliis oppositis teretibus tomentosis. Quarta, Gramen curiosissimum in salsis crescens, humifusum. Fungos quoque aliquot cu-

riosissimos delineari curavi. Reliquas hujus anni novas, ni fallor, plantas, inter semina leges; uti *Coluteam arbusculam*, *Lepidium Ceratocarpum*, *Erysimum Halophilum*, *Astragalum Ammodytem*, *Ornithopum trifoliatum* et plantulam *Pharnaceo* affinem, dichotomam, *Herniariae* foliis, *Spiraeam integrifoliam*. In Zoologicis pariter inventis haud ignobilis hic annus fuit. Gratissimum mihi fuit in summis, Sibiriam a reliqua Asia dirimentibus; alpibus *Leporis* speciem invenisse novam, inter saxa ferocissima, circaque torrentes degentem, magnitudine vix *Murem Porcellum* excedentem, ecaudatam, sub autumno miro instinctu foenisecantem, siccasque herbas in rupium hiatus congerentem. In desertis campis ad Irtin duos *Murini* generis species, tertiamque ad Obum fluvium detexi curiosissimas, et sacculis buccarum ad *Cricetum* accedentes. *Mustelae* etiam nova species determinata est, *Putorium* aequans, in Sibiriae sylvis frequentissima. Avium elegantissimas species primus observavi sequentes: *Emberizam aureolam* et *piniariam*; *Fringillam calcaratam*; *Hirundinem rupicolam*; *Loxiam alpestrem* (rosei tenerrimi coloris); *Motacillam Cyanuram*. Insectorum innumera messis fuit, novaeque praesertim species e genere *Meloïdum*, *Cicindelarum* atque *Apium* lecta sunt. Novum quoque *Colubrem* et *Lacertam* arenae ad Irtin fluvium frequentes dederunt. Inveni copiosa *Elephantum* ossa in arenosis ripis, sabulo conchis mixto defossa. Terras praeterea vitriolicas et aluminosas ditissimas, argillas porcellaneas varias, stratumque carbonum fossilium deteximus.

Et haec quidem omnia felicissime, et grata foret recordatio, nisi sanitatem funditus perire persentiscerem. Ideoque et maxime properandum mihi esse censeo, ut invisis Dauricis terris Naturae miraculis feracibus, cito ad commoda Europaearum urbium, quibus jam dudum, licet aegre, me privare cogor, revertar, meque pristina diaeta et tranquillo vitae genere reficiam. Nollem enim, licet fama inde nasceret, in Asia sepultus esse. Potius, si loco poenitentiae imponeretur reverso, Africam adire, ad hoc paratum animum offerrem. Jam enim irrequietum est ingenium, diuque uno loco residere haud sinit.

Falkius noster continua valetudine effecit, ut Academia illum hoc anno e Sibirico, quod mecum parabat, itinere revocaverit, non admodum collaudatum. Et sane per tres annos parum admodum in scientiae emolumentum proficere, per continuas hypochondriacas affectiones, potuit. Ego itaque solus in extrema Asia relictus sum, eoque ipso hypochondriacus fieri possem, nisi semper in universo patriam posuissem. Vale athletice et diu, in scientiae emolumentum amicorumque gaudium, quos inter me quoque numerare et diligere ne desinas. Dabam ex oppido Krasnojarsk ad Jeniseam d. $\frac{20}{31}$ Octobr. 1771.

9. Aestumatissimo et optimo amico

NICOLAO BURMANNO,

Sal. omniaque Fortunae bona adprecatur

P. S. PALLAS.

Dab. 6to Decembr. ex urbe Krasnojarensi ad Jeniseam 1771. Sexcentis septuaginta milliaribus a Petropoli vel Russicorum stadiorum ultra 5000.

Desideras a me semina arborum et fruticum, praesertim sempervirentium. Quae obtineri possunt et Sibiriae propriae sunt species certe mittentur, etiam te non monente. In regionibus, quae peragravi, hucusque tantum adnotandae fuere: *Ulmus pumila*, *Acer tataricum* et *Juniperus Lycia*, quorum tibi semina non potui colligere. Alia jam misi v. gr. *Loniceram tataricam*, *Robinias* Sibiricas omnes, *Amygdalum nanam*, *Cotoneastrum*, *Cornum albam*, *Spiraeas*, *Rosas*, *Coluteam arborescentem*, cet. Proximo anno adhuc diligentior in his ero, et praeteritorum quoque in reditu semina procurabo. Mittam et proximo anno *Cembrae* et *Laricis* semina, cum Dauricis *Andromedis*, *Rhododendro*, *Prunis*, cet., si haec matura possum legere. — Inter missa hoc anno semina debeo errores aliquot e festinatione ortos corrigere. Semen trigonis capsulis, quod tanquam novam plantulam et *Pharnacei* forte speciem dubitanter inscripsi, est *Euphorbia Chamaesyce*. Alia semina plantae circa Altaïcas nives crescentis, siliculis deflexis, est *Cardamines* species, ni fallor, nova. *Ornithopi* cujusdam mentio facta est, quae forte est *Melilotus ornitho-*

podoides, vel *Trigonella ruthena*; hujus hic aliqua semina adjicio, quia forte in tuum fasciculum non fuere posita. Inscripsi etiam capsulam aliquam nomine *Rhododendri daurici*, in quo forte erravi, certe tamen baccae illa capsula contentae fruticis sunt notatu dignissimi. Denique duabus capsulis, quas plantae ignotae et forte novae fol. radicalibus, scapo nudo umbellato inscripsi, ambabus semina *Primulae farinosae* continentur. In reliquis vix erit error; vel si sit, propter defectum omnimodum librorum in itinere, jure excusandus. Nil enim omnino mecum habeo, quam Species plantarum et Floram Sibiricam, eamque nunc dimidiam Falkius a me mutuo tenet, et negligens nondum remisit. Ergo vides, quomodo in plantis divinatione mihi opus sit.

Non nunciasti an semina hyeme 1769, ad te ex Upha oppido missa, in quibus erant rarissima, acceperis. Epistolam inde datam tantum memorasti. Vellem etiam scire, an feliciter germinaverint quae misi ultimo anno, praesertim *Falkia* frutex curiosissimus. *Cachrys* et *Hedysarum grandiflorum* novae species, cet. *Rinderae* semina hoc anno meliora misi, praeterito anno lecta mihi nondum matura visa sunt.

Nunc desiderio tuo, de plantis usitatis apud plebem Sibiriae, selectioribus respondeo. Primum locum tenebit *Paeonia laciniata*, cujus hoc anno semina misi. Hujus radix, ut ipse expertus sum et Chirurgi Sibiriae exercitui additi plerique jam norunt, febres intermittentes prompte et radicitus tollit, remedio a plebe desumto, quae hanc radicem ad multos morbos extollit et non sine ratione. In chronicis variis morbis robusta

plebs Russorum ad drastica plerumque recurrit, uti sunt illis praesertim celebrata: *Adonidis apenninae* et *vernalis* radix, *Agaricus Laricinus*, idem et *officinarum*, radix *Cacaliae hastatae*, qua etiam periisse aegros novi, succus *Euphorbiae palustris*. Diarrhoeas vulgo optime sistunt radicibus crudis *Bistortae*, decocto *Saxifragae crassifoliae* (alpicolis pro *Thea* quoque usitatis), cujus et radicem maxime antisepticam deprehendi, et quae forte ad febres utilis esset. *Lycopodium Juniperi folio reflexo* in aqua coctum bibitur tanquam emmenagogum, abortivum, itemque ad Icterum et Tertianam. *Pulsatilla patente* pro vesicatorio et exulcerante saepe utuntur, contrita; decoctumque ad convulsiones propinant. *Valerianae Phu* cruda radix infantibus epilepticis comedenda datur vulgari usu. *Valer. officinalis* contra febres adsumitur. *Daphnes Mezerei* nuclei baccarum ad 30 pro purgante drastico, succus expressus aliquot baccarum potandus datur infantibus tussi ferina laborantibus; radix dentibus dolentibus applicatur, acerrima; feminae in balneis baccis genas terunt et rubefaciunt, inflammatione inducta — tantus amor speciei! — *Filipendula* ab hystericis, infoecundis potatur integra. Contra luem veneream multosque chronicos morbos magnis laudibus extollunt decoctum *Solani Dulcamarae*, quae vulgari nomine *medicamentum* apud plebem audit. *Rhapontici* vulgarem usum tibi jam credo me indicasse. Idem et *Rhei undulati* in Sibiria. Vulnerarium optimum ad parva vulnera, folium tomentosum *Centaureae Sibiricae*, siccatum malleoque contusum, ut interior substantia comminuetur; con-

glutinat firmiter recentes cutis lacerationes. *Tamaricis* decoctum in haemoptysi et casu ab alto, contusionibusque gravissimis potatur. *Napelli* quoque virtutes rusticae plebi non sunt ignotae, sed periculoso modo vereque heroïco exhibetur. Multa alia adjicere possem, sed vilia et nullius momenti, vel superstitiosa, vel tandem in flora Sibirica jam commemorata. Ultimo adhuc veterinarium accipe medicamentum, quod, licet mirum, probatum esse novi. Equos anhelos, vel qui iliis immaniter concussis spirant, quod morbi genus esse nosti, curant intrusis in fauces calidis visceribus *Galli Gallinacei*, quibus devoratis equus deorsum vehementer purgatur et convalescit. — *Glauberianum sal* nativum in lacubus deserti Tatarici et Sibiriae quam plurimis generatur; multique dantur eodem ita saturati, ut frigescente autumno, copiosos ejus per refrigerium cristallos generent et in ripas eluant. Colligitur etiam et e salsuginosarum lacunarum limo excoquitur passim pro Pharmacopoliis Ruthenicis, ubi sub nomine *Salis Sibirici*, sed plerumque pejoris notae, prostat. Detexi lacus, qui illud purissimum et praestantissimum in posterum praebebunt. Sed virtutibus vulgare sal Sibiricum non aequat sal Anglicanum, et majori dosi exhiberi debet, forsitan quia calcarea terra plerumque onustum.

Doleo quod spem de Insectis Capensibus obtinendis fere ademisti. Nuncies saltem, nonne ab aliis Amstelodamensibus curiosis commutare insecta et marina pro me possis, datis Sibiriae mineris vel avibus animalibusque rarioribus effaretis. Sed forsitan, si salvus rediero, ipse adhuc aliquando de itinere Capensi cogitabo. Post

mortem parentum suppetet fortunula, qua cum peculio in itinere parato juncta, honestiuscule vivere possim; mihi vero mundus patria est, et in locis, ubi Naturae mysteria exhausta sunt, diu vivere non possum. Volui itaque jam dudum a te inquirere, an obtineri possit licentia a Societate vestra Indica, ad Caput B. Spei vitam libere et innocue suo sumtu agendi, Naturamque investigandi? Respondeas mihi ad haec occasione data. Tu certe, si illuc aliquando trajiciam, de diligenti istic scrutatore et commissario certus esse poteris. Quanto mallem illic jam esse, quam in ingratis Sibiriae desertis, ubi saepe centena plura stadia emensus vix plantulam vel insectum vel aviculam novam Naturae rigidae extorqueo. Invideo illi, quem dixisti Japoniam petiturum te procurante. Cura, ut mihi quandocunque locus vivendi ad Cap. B. Spei liber pateat; et eris mihi magnus Apollo! — Audio Solandrum rediisse ex itinere australi, ditissimaque retulisse spolia; fortunae amici paululum invideo, ipse inter pessimi itineris labores inventis adeo pauperculus. — Actum fuit de itinere Chinensi, quod Pekinum usque instituere volui; sed adhuc in suspenso res est, praesertim propter callidam et suspiciosam sapientiam Chinensis aulae, et quia fugitivam e nostris gentem Calmuccicam benigne susceperunt. Si tamen succedat, erit forte quo ornare mea possim. — Accipies adhuc forte alteras ante ver a me litterulas. His interim vale etiam atque etiam et cum Ill. Patre tuo, quem Di servent diu incolumem, nos amare perge.

PS. Unus e nostris, qui circa Caucasi confinia per sesqui annum versatus est (Doctor Güldenstaedt) Botanicus

assiduus, post varia tentamina infelicia, hoc tandem anno feliciter per Caucaseas gentes in Georgiam penetravit. Utinam et redeat felix!

---

10. Celeberrimo

NICOLAO BURMANNO

Amico suavissimo Sal. pl. optat

P. S. PALLAS.

Licet ad hunc usque diem ad missa tibi praeterlapso anno Octobri semina Sibirica, et ad varias paulo post durante tamen hyeme datas epistolas nullum adhuc responsum viderim; pergo tamen in scribendo, quando hyemale otium incepit, pergoque in mittendis dormientibus Florae Sibiricae embryonibus, qui ut apud te reviviscant et Dauriae arduae pulcherrimas plantas tibi sistant in horto, etiam atque etiam opto. Vidi pulcros Dauriae desertae campos, horridosque et aeterna nive tectos montes; legi divitias quas Natura in longinquis Orientis oris dispersit, et certe pluribus, intra tres menses, inventis Zoologiam inde auxi, quam prioribus quatuor itinerum annis arduo et iniquo labore corraseram. Laetus nunc et satisfacto animo ad reditum in Europam me accingo; quin jam ultra trecenta milliaria retro emensus sum ad hanc usque urbem, et hyemali adhuc via non multo minus emetiri cupio. Sed retinet me adhuc per aestatem unicam australis Russia, cui in transitu hoc tempus adhuc impendere sponte constitui; adeoque vere anni 1774 certissime, dummodo salvus sim, e Petropoli te salutabo. Contentissimum ex his

judicabis animum; sed fessum et valetudinarium corpus, continuis laboribus labefactatum non vides. Vix, credo, me agnosceres, si nunc ad te redirem Amstelaedamum. Neque certe Belgica est itineratio octingenta, vel mille milliaria aestate qualibet in barbara omnibusque commodis destituta regione, viasque per impolitissimas, curribus perlustrare. Hoc solo anno a Martio mense ad finem Augusti plena mille milliaria et fere centum emensus sum; neque haec vaniloquia putes, plerumque enim in mensuratis viis profectus sum. Confeci autem Russicorum stadiorum, quarum septem in milliari Germanico numerantur, septem millia sexcenta et ultra; a Krasnojaro nempe in regiones transbaïkalenses et ad extremos Mongolenses fines Dauriae et hinc retro Krasnojarium usque.

Semina, quae hodie mitto, pleraque sunt rarissimarum et extremae Sibiriae propriarum plantarum. Quum vero his regionibus mihi jam in aeternum sit valedicendum, in posterum similia semina amplius mittere nulla possum, quaeque accipis cum cura erunt educanda. Siccae Dauriae montanas plantas, v. gr. *Cymbariam*, *Peganum*, *Hypecoum*, *Papaverem*, *Phacas*, *Astragalos* similiaque, vix puto apud vos in humili solo vivaces fore, nisi data opera solum artificiale, elatius, e lapillis grossaque glarea conficiatur, levique montana humo cum arena mixta superingesta aequetur et fertilisetur. Itidem pro alpestribus aliis, v. gr. *Dryade*, *Rhododendris* cet., solum ex coacervatis lapidibus musco instratis requiri videtur. Notavi in chartulis omnibus annuas et perennes, et solum locumque natalem accurate

adscripsi, ut horticola vester inde sapere possit. — Misi hoc anno et ad Ill. Linnaeum aliquot rariorum seminum portiunculas, ut Dauricae plantae, quas dudum optasse illum scio, etiam Upsaliae floreant. — Proximo anno ultima in itinere collecta a me semina exspectes. Sed Petropolin redux, forsitan in horto nostro nanciscar a collegis collecta Georgiae Persiaeve semina, quae tecum communicari poterunt.

Rhei (forte *undulati*) e duobus diversis locis alpium Sibiriae lecta semina misi, ut ipse discrimina varietatum observes. — In Dauria post me remansit studiosus, quem per altissima juga secundum Mongoliae fines misi, ubi nullus adhuc fuit Botanicus. Quam primum ille redierit, seminum, quae collegerit, partem tecum communicare haud omittam. Itidem apothecarius mihi additus, ad Baikalem vastissimum lacum obeundum navigio missus, nondum rediit; a quo plurima exspecto rara.

Apud vos quomodo vivatur scire vellem. In Germania miseriam et faminium esse summum audio. Nos licet bellantes valemus et vigemus athletice, neque fames nec penuria ullius rei nos premit. Nuper ab amicissimo de Rengers accepi litteras, quae gratissimae fuerunt. Ille pro me diligenter colligit marina. Utinam et a te simile quid audirem, vel Capensium insectorum spem faceres! Quidnam Boddaertus noster agit? Epistolam pro illo adjeci, aliamque ad Dn. Rengers.

Valete athletice et mementote nostrum. In Sibiriae oppido Krasnojario ad Jeniseam d. $\frac{10}{21}$ Octobr. 1772. styl. nov.

II. Amico egregio, belgicae fidei documentum praestanti,

Celeb. NICOLAO BURMANNO

Salutem atque optata quaevis bona prosperaque adprecatur

P. S. PALLAS.

Dum te nostri oblitum conqueror, interque curas innumeras agitatum animum etiam de silentio tuo diuturno sollicito, perferuntur ad me tandem sub initium Novembris gratissimae tuae litterae d. 6 Junii datae, e quibus te pariter atque optimum parentem salvos nostrique memores, imo de rebus meis sollicitos esse, gratus laetusque perspexi. Det vobis Numen quaecunque mortalibus summa distribuit bona, faxitque ut coram vobis animum deditissimum aliquando demonstrare mihimet contingat. Interim quae potero absens grata vobis praestare, ut hucusque feci, certe nunquam, nisi cum vita me deseret, desistam.

Inter semina hodierni fasciculi eminent: *Robinia* nova, *Sophora alopecuroides*, *Astragali* atque *Salsolae* variae, omnesque raritate vincens *Anabasis cretacea*, mira progenies, quam tibi post haec suppeditare nunquam potero, ideoque copiosa semina misi, quae in solo artificiali, e creta calcareave terra cum limosa vel margacea commiscenda, seri debent maximamque partem siccius habenda sunt. Sed nosti me talia, qualia hoc anno accipis, non amplius missurum; namque hae sunt extremae Sibiriae divitiae, cui protinus et plane mihi valedicendum jam erit; neque sperari potest alpestres illas plantas in horto

Petropolitano fere paludoso felicius germinaturas vel foecundiores futuras, quam apud vos erunt. Itaque paratis consulas; quae vero australis Russia gignit, v. gr. *Salsolas* atque *Salicornias* varias, *Falkiam* (non hoc nomine, sed recusante ipso Falkio, titulo *Pterococci arenarii* (*) a me descriptam), *Messerschmidiam*, *Glycyrrhizas*, *Rinderam*, similiaque, illa omnia, si Deus salvum me servet, tibi denuo procurare studebo.

Ultimus in Sibiria transactus annus mihi praeter spem omnium fuit laetissimus atque felicissimus; non solum quod laboribus per majorem amanuensium numerum imminutis valetudini consulere potui, qua satis vegeta usus sum, sed etiam quia intra semestre spatium plura fere nova atque egregia in omni parte scientiae observavi, quam integris tribus peregrinationis annis. Ut ipse de successu hujus anni judicare posses Elenchum quadrupedum aviumque (**) noviter observatorum adjeci, e quo quid in reliquis classibus praestitum sit concludere facile est. Neque plantarum novarum messe iniqua fuit Dauria, licet tot egregia anticipaverant Messerschmidius et Gmelinus, imo quaedam nuper eti-

---

(*) In epistola, quam Pallasius postea d. 18 Julii 1773 ad Burmannum misit, inter alia haec scribit: »Posterioribus cu»ris deprehendi fruticem, cujus tibi olim nuculas sub nomi»ne *Falkiae* miseram, esse *Calligonum polygonoides* Lin»naei, sed falso ad Polyandriam relatum, ideoque a me pro »novo hucusque habitum."

(**) Huncce catalogum, quem etiam in MSS. possideo, hoc quidem loco addere, minus utile duxi.

am a Laxmanno commentariis Petropol. inserta, novarum specierum apud me numerum minuerent. Praecipua nova sunt: *Tamarix Daurica; Sedum populifolium* atque *hyperboreum*; *Crassulae* species; *Pedicularis flava* atque *picta*; *Astragalus deflexus*; *Phaca muricata* et *prostrata*; *Colutea Daurica*; *Iris ventricosa*, *lactea*, *elongata*, *dichotoma*; *Campanula verticillata*; *Hedysarum arenarium*; *Convolvulus Dauricus* atque *Chinensis*; *Artemisia pennata*; *Potentilla micropetala*; et anticipatae a Laxmanno *Robinia ferox*; *Trifolium Dauricum*; *Dracocephalum alpigenum*; ut reliquas non memorem a Gmelino vel Ammanno descriptas quidem, sed Linnaeo non commemoratas, v. gr. *Clematidem Dauricam*, *Fumariam Impatientem* ex Ammannianis; *Gentianam alpinam* et *Salicem pusillam berberifoliam* e Gmelinianis, cet.; quarum plurium ad te semina missa sunt, et de quibus, si germinaverint, ipse mentem tuam mihi communicare ut velis, enixe rogo. Etiam in sequentibus consilium tuum expeto: 1.) de *Sibbaldia pumila*, in secundo fascic. seminum missa, an specie differat a *Sibb. erecta*, cujus semina hoc et priori anno misi, et a qua differt statura pusilla stirpis et magnitudine majori omnium partium floris. 2.) Circa *Valerianam*, *V. sibiricae* affinem, cujus semina hoc anno accipies, quaeque est illa cujus iconem, tanquam varietatis, Flora Sibirica dedit; mihi vero haec a vulgari, cujus formam Ammanniana icon depingit, et e qua semina elapso anno misi, toto coelo differre videtur per criteria constantissima, licet ambae in una saepe rupe simul crescant. Si icones compares, quas citavi, et ad-

jicias Ammannianae plantae folia esse succulenta, Gmelinianae tenera multoque crebriora; florem hujus saepe esse pentandrum, multoque serius apparere, quam prioris, quae primo vere floret et semina jam perfecit, quando altera primos corymbos pandit; denique Ammannianam per totam Sibiriam, Gmelinianam plantam nonnisi in Dauria et australi Jeniseae regione provenire, vix pro unius speciei varietatibus habere poteris. Cultura in horto omne solvet dubium, si modo succedat. 3.) *Aquilegia* spontanea in rupibus extremae Dauriae proveniens, viridi florens corolla, an a vulgari differat, si missa semina foecunda fuerint, tu quoque dijudicabis. 4.) *Phacas*, quarum plurima semina misi e plantis facie diversissimis, sed summopere affinibus, in horto simul sata confirmabunt, quaenam ex observatis pro specie distinctis sint habendae. Mihi praeter *Ph. Sibiricam*, simili foliorum structura gaudentes quatuor distinguendae videntur, quarum tantum unicam Ammannus simul cum *Ph. Sibirica* descripsit. 5.) *Clematis*, cujus in tertio fascic. semina mitto, an sit nova species, a te quoque judicium exspecto. 6.) Itidem de *Glycyrrhiza*, cujus anno 1770 semina misi, quaeque in Itinerario nomine *Gl. asperae* descripta est, nosse cuperem, qualem se in horto praebuerit, praesertim quum mihi cum floribus plane non sit visa, quod et de *Primula alpina* moneo, cujus semina fuere in fasciculo hujus anni secundo. — Et haec quidem de dubiis meis botanicis, e quibus perspicies me in tuum quoque campum irrepsisse et amore Florae, quam prius neglexeram, exarsisse inter itinera.

Sequantur nunc de usu medico plebejo quarundam Sibiriae plantarum aliqua; quibus exactis de itinere Capensi tecum agam. Praecipuum domesticum remedium, quod hoc anno didici, quodque eximium usum medicum promittere videtur, *Rhododendrum* est, *Kalmiae* nimis affine, in Flor. Sibir. vol. IV. tab. 54 (*) delineatum, quod in summis alpibus nivalibusque jugis Sibiriae orientalis copiose crescit in Kamtschatkam usque. Celeberrimum est remedium inter Tataros atque Tungusos alpicolas, et ad Russos quoque accolas transiit. Ad Jeniseam Tataris appellatur *Schei* et *Kaschkara*, a Russis vero ibidem habitantibus *Sabyna*, quia in jugo *Sabyn-taban* cognominato praesertim legitur. In Dauria Russis sub nomine *Tscherno grif* vel *Kelarsk* notum est, crescitque tantum in summis jugis circa Baikalem lacum et ad fines Mongoliae Chinensis sitis. Videtur haec planta virtute narcotica quidem, sed specifica, summeque activa praedita esse. Ramuli tres vel quatuor cum foliis, in aquae libris circiter duabus vase clauso fortiter coquere et decocti saturati pateras duas vel tres potare, apud robustam Sibiriae plebem moris est. Aegri, qui ad morbos chronicos varios decoctum adhibent, inde fiunt temulenti, vario gradu, perque omnes artus, praesertim ubi rheumaticis, arthriticis, venereisve doloribus vexantur, sentiunt vermiculationes quasi, quae cum temulentia demum cessant, sanissimosque artus relinquunt, sine ulla recidiva. Vix morbus est internus, in quo non utantur hocce remedio, solas si excipias acutae in-

(*) Est *Rhododendron Chrysanthum*.

dolis aegritudines. Studiosus, quem in alpinis Dauriae reliqueram, post diarrhoeam toto corpore aeger factus est, cum obstructione alvi pertinacissima; epotavit pateras duas circiter ℥ VIII singulam, sensitque post horam vix elapsam, cum alienatione aliqua mentis, remedium, quasi ardorem quendam, per omnes artus vadere: epotavit tunc aquam frigidam; sitim enim creat decoctum, et post aquam frigidam vomitus succedere solet, interdum et crisis per diarrhoeam. Illi solus vomitus accidit, cum nulla purgatione, sanusque evasit. Plebs in universum tanquam divinum remedium extollit, neque ab ullo effectum adversum audivi, licet imprudentissime ad omnia fere mala potent. — Itaque aliquantum hujus plantae pro te transmisi mercatoribus, maximeque optarem, ut in Nosocomio moderatum ejus experimentum in difficillimis morbis chronicis caperes. Licet enim planta pro medico usu e tam dissita regione non sine studio Collegii medicorum Petropolitani (cui etiam a me commendata fuit planta) divulgari poterit apud exteros; tamen utile erit experimentum, et forsitan *Kalmia*, insigni pariter virtute pollens, quam per Anglos e boreali America facile obtinebitis, simili virtute gaudebit.

Aliud remedium in Dauria celebratissimum, sed virtute mere drastica pollens, radix est *Stellerae Chamaejasmes*, Mandragorae instar humanam effigiem radicibus imitata, ideoque Russis *Mushik koren* dicta. Idem nomen eandemque similitudinem obtinet radix lactescens *Euphorbiae* cujusdam Dauricae, cujus pariter ac *Stellerae* semina in secundo fasciculo misi, quaeque nimis

drastica, praesertim inclaruit pro lotione externa ad scabiem, Mongolo-Buraetis frequentem, quibus bicruris haecce radix *Kunubussu* audit. Utriusque radicis specimen *Rhododendro* adjeci, quod tibi adferetur. *Euphorbiam* inter notas species extricare non potui.

Pyrola uniflora egregium est amarum, et instar piperis in ore ardet; colligitur in locis borealibus ubi provenit, lateque per Sibiriam pro decocto vel thea salutifera ad innumeros morbos incipientes adhibetur, nomine *Killetéka* clarum. Laudabilis omnino nec inanis planta, multis pharmacopolarum simplicibus insipidis anteponenda. Omiseram fere remedium per totam Sibiriam celebratum, summitates *Juniperi Sabinae*, quae in rupibus ad Abakanum et in Dauria passim crescit. In affectibus capitis quibusvis iis suffumigant, et si hoc modo non cito possit, decoctum potant, quod et in aliis internis morbis praecipue ventralibus laudant Russi et Barbarae gentes. — Praeterea apud plebem Sibiriae in usu sunt sequentia: 1.) Heroïca ad multos morbos chronicos: moxa ex *Artemisia rupestri*, loco dolenti applicata, quod a Barbaris gentibus didicere; *Adonis apennina*, drastica; *Pulsatilla*, *Aconitum Lycoctonum* flavum, *Delphinium elatum*, *Aquilegia alpina*. 2.) Specifica ad luem veneream: decoctum *Serratulae amarae*, *Jakutka*, uti ipse morbus, in Sibiria dictae, itemque *Serratulae*, cujus in tertio fasciculo semina mitto, quamque in itinerario pro varietate *S. amarae* descripseram; nec non *Fumariae impatientis* in libro Ammanni delineatae. 3) Amara nobilissima: *Sophora alopecuroides*; *Gentiana cruciata*, *Pneumonanthe*, *Amarella*, *al-*

pina; Swertia corniculata; Dracocephalum Ruyschiana. 4.) Miscellanea, quorum nec usum bene novi, quorumque multa inania videntur: *Solidago Virgaurea*, *Caltha palustris*, *Tanacetum vulgare*, *Parnassia* (ad gonorrhoeas pro purgante omnium testimonio serviens, contra quod materia medica docet); *Leonurus Cardiaca; Ballote lanata* (flatulenta atque antihysterica); *Phlomis tuberosa*, *Polytrichum vulgare*, *Pteris pedata*, *Saxifraga bronchialis*, *Cypripedium Calceolus*, *Pedicularis* Flor. Sib. III. tab. 43. et *resupinata; Orchis pyramidalis*, *Polygonum aviculare*, *Cotyledon spinosa* (acidula); *Heraclei Panaces* radix, *Cineraria alpina.*— Asphaltum, quod Baikali lacui innatat, lacti incoctum pro diaphoretico hauriunt aliqui, uti jam ad Volgam, ubi fontes asphalto scaturiunt, observaveram. Crudum cum cera vel sebo pro emplastris adhibent. — *Paeoniae* radices aliqui Tatarorum jusculis incoquunt. — Inter *Theae* succedanea barbara eminet *Polypodium fragrans* in extremae Dauriae rupibus frequens, cujus te judicem facturus aliquam portiunculam misi; mihi praesertim theae viridi aliquot frondes adjectae gratissimum saporem conciliasse visae sunt. Reliqua plerumque tantum propter adstrictorium gustum a Barbaris potantur, v. gr. *Saxifragae crassifoliae* folia antiquata (cujus radix in alvi fluxu coquitur), *Pyrolae rotundifoliae*, *Vitis ideae*, et *Clematidis Dauricae* Ammanno descriptae herba, adeo ingrati saporis, ut aliquoties fervida aqua extrahendae sint, antequam pro thea possint adhiberi, *Tormentillae* radix, *Phlomis tuberosa* florens, aliaque. Denique *Hyoscyami physalodis* semina Tungusis Dau-

Dauriae in ferrea patera supra ignem sicca tosta, fere coffeae Turcarum ad instar, potui calido inserviunt, quod vix somniassem unquam.

Sed ohe! jam satis narravi; tuque vereor ne lassus jam sis legendo. Superest tamen, quod mihi maxime cordi est, Capense iter. — Immortales tibi debeo gratias pro opera, quam in adjuvandis meis desideriis adeo liberaliter amicissimeque promittis. Neque unquam, crede mihi, in gratiorem hominem officia mutua collocabis. Sed nolo in antecessum verbosus promittere officia, quae re perfecta actis potius praestanda mihi propono; itaque simpliciter obligatissimum tibi animum testifico et ad rem ipsam procedo. Primum aperiendus tibi animus meus, statusque mearum rerum. Matre mortua, cujus senium vix longam vitalitatem promittit, rediet ad me tantundem ad minimum, quantum in itinere, per largum, quo fruor, stipendium collegi pecuniae. Universa forte summa, quam propriam tunc possidebo, ad millia circiter duodecim vel paulo ultra Imperialium germanicorum (antiquae pecuniae) redibit. Vellem itaque primum omnium nosse, an sit in Capite Bonae Spei pecunias locandi occasio et facultas secura et qualis reditus; quantoque reditu homo sine omni luxu, a quo jam aetas me removit, vivens, honeste sese sustentare posset. Itaque hoc perpenso, judicabis ipse, an possim ibi loci sine munere vivere, quod propter studia atque valetudinem praefèrrem, nec ne? Si judicaveris me certo pecuniae meae reditu vivere non posse, tunc de munere, quod mihi esset eligendum, te amicum et fautorem optimum, generosissimumque et sapientis-

simum parentem tuum judices facio. Medicinam exercere non recuso, sed Nosocomio addictus esse maximo mihi in prosequendo studio, cui omnem vitam, juventutem, sanitatem impendi, foret impedimento. Melius conveniret officium aliquod liberius, minus onerosum; minus temporis postulans, neque uni loco me adfigens; praesertim tale, in quo liceret itineribus per interiores terras subinde factis interesse, et quod genio meo aliis quoque modis conveniret. Denique optimum foret, si aliquod, licet mediocre, salarium proponeretur homini in productis naturalibus regionis utilibus detegendis atque illustrandis intento. Per iter quadrienne tantum in observandi arte, quam a scientia naturali Musaeorum diversissimam facio, profeci, ut in botanicis atque mineralogicis Societati vestrae Indicae in tali regione constitutus forte utilis esse possem, praesertim si itineribus interesse daretur. En tibi mentem meam, sincerrime expositam! — Si liberrime sine ullo munere vivere posse putas, saltem vellem ut aliqua esset auctoritas a parte Societatis Indicae addita, ut, licet sine salario, quod me magis adstringeret, committerent mihi curam inveniendorum vegetabilium ad colores, usum domesticum vel medicum utilium, itemque fossilium vel minerarum e quibus emolumentum exspectari possit; addita conditione, ut inventa utilia praemio non carerent, vel saltim expensae inventionibus impendendae non fierent meae crumenae onerosiores; quod praesertim respectu itinerum instituendorum capitale videtur. Liberum denique, etiam sine conditione facta, mihi fore arbitror, res naturales in Europam mittendi amicis. — Haec omnia tan-

tum expono, non praescribo; namque in tanta distantia, quum litterae vix intra sex menses mutuo deferri nobis possint, responsumque integrum annum postulet, non possunt omnia mutuo litterarum commercio bene discuti. Itaque tibi rem totam committo, tuoque judicio perficiendam etiam atque etiam commendo. Iter meum finietur vere anni 1774; vel, si a te prius accipiam litteras, quae spem propiorem ostendant, jam autumno vel hyeme proximi anni Petropolin revertar. Erit tunc semiannus ad minimum impendendus elaborationibus, quas Academiae debeo, neque munus in Academia citius deponere possum. Si optimam matrem prius defungi vita sors jubeat, tunc Petropoli citius Berolinum proficisci cogor, propter componendas res cum consanguineis. Forte tunc Hamburgo ad breve colloquium Amstelaedamum trajiciam, si a te necessarium judicabitur. — Mirum videbitur, sed non tibi, qui scientiae naturalis delicias nosti, me de relinquendo munere Academico, quod post absolutum iter mille Rublonum salario annuo stipatum est, cogitare, ut vix ad quietem revocatus, denuo in longinquas et ignotas regiones tendam. Sed, qui itineribus a prima juventute distentus fuit, et Naturae investigandae studio exagitatus, vix sibi locum quietum ante senectutem invenire potest. Deinde vero nihil sanitati meae magis adversatur, quam borealis Russiae clima rigidissimum. Neque post elaborata, quae in itinere collegi, erit Petropoli, quo occupari meo more possim. Est enim regio sterilissima. Itaque dudum apud me constitui, si Caput B. Spei adire non liceat, vitam finire in australibus Galliae vel Ita-

liae, ubi vicinia maris Mediterranei, feliciusque coelum inventa, vel saltem curiosa adhuc multa, in scientia nostra promittunt. — Oblitus sum tibi dicere, si forte res, de qua agitur, apud principem Arausionensem promotore egeat, aptissimum ad hoc fore D^{num} Baronem de Rengers mihi amicissimum atque benevolentissimum. Neque credo Gaubium meas res derelicturum. — Sed ipse omnia perpende et amici tibi deditissimi rebus consule. Spem modo subnatam excitasti, neque dubito eadem benevolentia te in re ipsa auxiliaturum. Dicerem, nisi superbus videri possem, te dum rem propositam promoves, scientiam naturalem promovere; saltem omnes vires in hanc semper impendam, ubicunque sim, neque forte inutilis scientiae ero; saltem sic sperare liceat. Audacter magis affirmo me horto vestro atque musaeo ita fore inserviturum, ut neminem officiositate inveniatis potiorem; gloriosum enim reputo et semper reputabo talibus et tantis servire amicis. — Hisque vale, amice optime, fruereque sanitate prosperrima; diu servet Deus venerandum parentem, quem uti proprium olim meum veneror, et cujus sinceram benevolentiam semper recordabor. Valete.

Dab. Krasnojarii ad Jeniseam. Sub ipsum fere abitum d. 30 Novembr. 1772.

12. Amico egregio, Celeberrimo
NICOLAO LAUR. BURMANNO,
Medico et Botanico Amstelodamensi,
Salutem et fausta plurima optat
P. S. PALLAS.

Studiosos, qui tibi hasce meas reddent litteras, *Sokólof* et *Sujef* nomine, ambos gente Russos, etiam atque etiam tibi commendo, rogoque ut, tanquam fidis sexennium laborum sociis, historiaeque naturalis studio apprime destinatis, copiam thesauros proprios inspiciendi benigne facere, aliorumque ad musea curiosorum, si vacet, introducere illos velis. Sed de mutuis inter nos rebus, praesertim de seminibus quae ad te misi, coram illis nihil! Est enim, ut nunc video, plena invidiae res, verumque inimicorum meorum pabulum.

Per breve, quod hic commoratus sum, tempus satis perspexi solum hoc inimicum liberalibus animis me haud diu laturum. Non modo exantlatis magno animo laboribus et periculis, praemium et laus nulla sunt, sed potius cooriuntur undique invidiae, roduntque avaro dente collegae, quibus aemulatio non in sola scientia, sed in crumenae amore torquet. Itaque valeat haec barbara tellus, si modo, quae Academiae ex itinere debita sunt, exsolvero. Melius erit, vel in angulo quodam obscuro patriae delitescere mediocremque tranquillo frui otio, vel ultimos terrae fines petere, ubi in studio Naturae senescam. Hoc ultimum per te solum, tuosque amicos contingere potest. Sed de tempore, quando quid moliri possis, incertus adhuc haereo: intra annuum, quod hic

ad minimum transigere debeo, spatium plura elucescent; tumque de omnibus certiora. Tu modo interim, si amicum diligas et naturae cultui consecratum habere velis, quae praeparari possunt apud amicos tuos praepara, meque fovere et diligere perge. — Vale, amice, cumque dilectissima familia tua omnibus vitae bonis fruere.

Dab. Petropoli d. 3 Augusti 1774.

PS. Gmelinum, quem in captivitate apud Tataros Lesgos Caucasi incolas detineri tibi nunciavi, in quos redux e secundo Persico itinere incidit, nunc in captivitate, mortuum esse fama fert; saltem nuncius de eo infortunoi, licet non ad Academiam, huc pervenit. — De tristi exitu amici quondam sinceri mei Falkii studiosi tibi narrare poterunt. Hypochondriasis tandem vicit, totoque itineris tempore male habitum ultimo, ne cum aliquo dedecore male gestae per valetudinem rei huc rediret, ad extrema consilia miserum compulit. Cultrum prius tonsorium expertus, deterritusque dolore, sclopeto manuali cranium fregit, glande per jugulum in verticem emissa.

13. Amico integerrimo et optatissimo,
Celeberrimo
NIC. LAUR. BURMANNO,
Sal. et prosperitatem
P. S. PALLAS. (*)

Quaeris ex me de auctoribus, qui Agriculturam et Oeconomiam tractarunt. Si de nostratibus quaeras, vix quidquam boni indicare possum. Namque scripta Societatis oeconomicae nostrae plerumque versionibus et repetitionibus eorum, quae apud exteros notissima sunt, referta esse solent. — Si Germanos quaeras, tum quidem praecipuos auctores oeconomos inter conterraneos meos puto: Münchhausium in libro, *der Haussvater* dicto; Schreberi *Cameralschriften; Abhandlungen der Zurcherischen, Bernischen und Churbayerschen Gesellschafften; das Hannoversche Magazin*, cujus multa jam sunt volumina; et *Encyclopoedia*. Porro: *Berliner Beiträge zur Landwirtschafft. — Nachrichten zur Verbesserung der Landwirthschafft und des Gewerbes, von der Koenigl. Grossbritannischen Churfürstl. Braunschw. Landwirthschaffts-Geselschafft. — Abhandlungen der Churpfälzischen oeconomischen Gesellschafft.* — Von Schoenfeld, *Landwirthschafft.* — Etiam acta Societatis oeconomicae Petropolitanae jam ad complura volumina in germanicam

(*) Plures, quae hancce ordine chronologico praecedunt, Pallasii epistolae data opera omissae sunt. In iis inter alia scribit, se, aucto stipendio caet., Petropoli mansurum esse.

linguam versa exstant. — Anglorum magnam in oeconomicis esse famam bene nosti, multique etiam recentissimi eorum ad hanc partem libri exstant. De cultura pratorum novum librum molitur Gleditschius, uti nuper de sylvarum cura (*von der Forstwissenschaft*) egregium compendium dedit. Scire deinde cupis, quae mihi ipsi, quoad agriculturam et oeconomiam, nota sunt, quod de nostrarum terrarum cultura intelligere te puto. Ad haec respondebo: 1.) Multa passim observata in itinerario exstare. 2.) Agrorum culturam, pecorumque curam in his terris esse negligentissimam. Rusticos, dominorum mancipia, ultra maxime necessaria nil quaerere. In plerisque regionibus tantum superesse camporum incultorum, ut ne quidem de pinguefaciendis agris cogitetur, sed exhausto uno loco, ager in desertum antea, at opimum campum transferri soleat. Pecus, ubi populosiora loca, tantum ad victum necessarium ali; in locis desertis maximis gregibus, sine ulla cura, imo saepe sine pastore errare et multiplicari solis sub Naturae auspiciis, nulla alia opera adhibita, quam ut mulgendi causa quavis vesperi ad tuguria compellatur. — Non ergo apud nostros agricolas, industriosis et angusto spatio inclusis Belgis, sunt quaerendae regulae et nova culturae momenta. — E nostris terris haud putaverim alia vobis prodesse posse, quam herbas ad pratorum emendationem, plantas pabulares, quae arenam amant et dunas simul firmare et pecori utiles reddere vestras possint; fruticesque et arbusta ad sepes et item solidandos colles arenosos usui futura. Et horum tibi inter nostrates plantas selectum parabo ca-

talogum, indicato simul quarumlibet specierum praecipuo usu, natura, et praestantia. Non autem brevi temporis spatio perfici talis Elenchus potuit, adeoque intra mensem circiter exspectandus est; nolui autem tamdiu responsum meum differe. Pauca hic interim memorabo:

Robinia Caragana etiam in arena, profundius sata, optime viget, neque tunc arborescit, sed virgulta facit latissima, arenam colligentia, ovibusque adeo praestans et gratum est pabulum, ut in Dauria, ubi arenosi tractus virgultis vix ulnaribus *Caraganae* virent, totius orbis maximi dentur arietes, vix asello minores. Si *Robiniam* in vestris dunis succedere audivero, non dubitabo cultura ejus diligentissima et colles istos solidari, et ovium innumeras greges ibi pasci posse. Sed erit, ni statim ovibus praerodatur, falce demetenda quotannis, ut creberrimis ex detruncatis virgis ramis luxuriet et densa fiat. In Dauria idem praestant ignes, quibus quotannis uruntur pascua, ut vernis plantis laetius postea sit incrementum.

Hedysarum fruticosum, cujus tibi semina misi, nunquam nisi intra fluidam, ut ita dicam, et aridissimam arenam crescit, et perennat; equis autem gratissimum est pabulum ulnaribus et sesquiulnaribus quotannis virgis herbaceis surgens.

Robinia pygmaea etiam arenam fert, sed praeter usum firmandae ejus, et tenacissimas ad ligaturam quamvis virgas, nullum videtur usum praestare posse.

Urtica vulgaris equidem, loco *Cannabis* ad torquendos funes stuppam suppeditare potest. Longe praestan-

tior vero, et procerior, macroque licet solo, maxime luxurians est *Urtica cannabina* Sibirica nostras, cujus etiam fila multo sunt tenaciora, et pulcriora. Radix autem perennat et luxuriat stolonibus, ipsaque se per semina immane quantum propagat planta, ut usum sine omni cultura praestare posset.

Rhus Cotinus in arenis laete crescit, et quum praebeat folia et virgas pro flavo colore, et pro parandis coriis, quae *Saffian* vocantur, praestantissima, utilissimum arbustum in maritimis vestris commendari posse credo, climate certe non refragante.

Plura hujusmodi in posterum exspecta. Nunc vale et Parenti tuo venerando atque illustri sanitatem diuturnam meo nomine apprecare, me vero diligere in posterum perge et praesertim Insecta memento. Vale athletice Petrop. d. $\frac{2}{13}$ Aug. 1776.

---

14. Illustri ac Celeberrimo Botanico,
Patrono suo plurimum Venerando;

Dno. JOANNI BURMANNO,

Salutem diuturnam et felicitatem

P. S. PALLAS.

Jam credo ad te pervenisse per novellas publicas famam de jubilaeo semisaeculari, quod Academia Petropolitana nuper solemni conventu celebravit. Condecorata tunc fuit Borussorum Regis atque magni Ducis Rossiaci inter honoraria sua membra accessione, plurimosque Imperii proceres sibi adscivit. Sed magis ad-

huc ornata virorum eruditionis laude longe celeberrimorum in supplementum exterorum membrorum adoptione, quorum in numero, (placuerat autem tantum viginti universos legere,) te quoque, Vir Celeberrime atque patrone, lectum fuisse tibi, mihique et Academiae nostrae gratulor. Inter Halleri, Buffonii, Wallerii, Markgrafii, Gleditschii, D'Aubentoni, ut alios taceam, nomina, quod magis dignum et illustre tuo potuit collocari? Licet secretarii Academiae nostrae, Dni. Euleri fil. munus proprie sit, Academiae consensum tibi, diplomate transmisso, significare, gaudium tamen meum retinere non potui, quin tibi praeviis litteris rem nunciarem et, quantum successu exsultem, significarem. — Faxit Deus, ut celebritate tua omnibusque vitae meritissimae bonis diu gaudeas. Mihi vero, ut antiqua tua amicitia et benignitate porro faveas, etiam atque etiam rogo. Vale. Dab. Petropoli d. $\frac{10}{21}$ Januar. 1777.

EPISTOLA VANDELLII

AD

J. BURMANNUM

CUM RESPONSO.

---

1. Viro Celeberrimo

DD. JOHANNI BURMANNO

Professori Botanico etc.

S. P. D.

DOMINICUS VANDELLI.

Ne mireris, vir celeberrime, si ego tanto intervallo dissitus ad te accedam. Celeberrimorum virorum ea conditio est, ut nedum loca adsita, disjunctissimas regiones etiam celebritate nominis attingant; unde fit, ut plurimos ubique cultores habeant atque admiratores. Talem me, atque utique inter primos, fateor erga te, Botanices decus et ornamentum, diuque cogitavi mea obsequia sistere. Diuturnam itaque multorum annorum erubescentiam nunc frangit Horti Botanici ac Musei constructio in hac felicissima terra.

Novum viridarium atque Museum, ut recte scis, omnibus indiget et, nisi auxilio aliorum Professorum hujus scientiae, tam facile augere et ornare non est. Idcirce te, vir celeberrime, etiam atque etiam oro, ut sis adjumenti ad scientiae Naturalis in hoc regno originem.

Tecum varia communicare possum e Lusitania, Africa et Brasilia.

Si huic litterario commercio favere non dedigneris, rogo, ut me admoneas, quid e Lusitania cupis, ut id ad te antea transmittere possim, et dein quibus caremus petere.

Interim id supremam felicitatis meae partem ducam, siquidem amicitia tua, omni ratione exoptanda, dignari velis cultorem tuum indefessum. Fac valeas.

Dabam Olissiponae d. 29. 7i. 1767.

Directio: *à Mr. Dominique Vandelli, Professeur Royal d'histoire naturelle à Lisbonne.*

---

2. Viro Celeberrimo

DOMINICO VANDELLIO,

Professori regio

S. D.

J. BURMANNUS. 25 Octobr. 1767.

Nuperrime tuas, Vir celeberrime, accepi litteras, e quibus cum summa animi voluptate tuum erga me propensum animum commerciumque litterarium oblatum percepi, quodque mecum communicare velles varia e Lusitania, Africa atque Brasilia.

Hoc mihi esset quam gratissimum, dum ex iis regionibus paucissima possideam, excepto Herbario Brasiliano magni Pisonis. Ego tibi varia obferre potero, tam ex nostra patria, quam ex India et Capite Bonae Spei.

Si itaque haec inter nos mutuamus atque dividamus, utrisque summo cum fructu prodesse et inservire possumus. Si ergo mittas, quas mihi obferre velles, siccatas plantas, quas habes in duplo, e Lusitania, Africa et Brasilia ad augendum et ornandum meum herbarium, quod millenas aliquot continet plantas ex plurimis regionibus conquisitas, rem mihi faceres quam exoptatissimam; sique earundem recentia semina addere velles pro horto nostro Medico instruendo, acceptissima omnia essent. Ego tibi recentia semina siccatasque, si requiras, plantas plurimas ex Cap. Bonae Spei, Indicas, Europaeas nostras, Suecicasque possum subministrare, quas ultimas filius meus, dum apud Cl. Linnaeum degebat, collegit quique occupatus jam est in Flora Indica, quae fere jam tota impressa est, sique eam desideres cum meis editis operibus in posterum tibi transmittere potero.

An vero in vestra regione opera mea sint cognita, ignoro. Edidi autem prius *Thesaurum Zeylanicum*, qui continet plantas ab Hermanno aliisque olim ibi collectas et siccatas; ipsius enim Herbarium totum possideo. Tum *Decades* decem plantarum Capensium in lucem protuli, quarum plurimas ex ista regione, tam delineatas, quam siccas habeo; dein Rumphii *Herbarium Amboinense*, septem voluminibus constans, in linguam Latinam transtuli ornatumque iconibus promulgavi; tandem quoque *plantas Americanas* a summo Plumierio olim collectas ac delineatas per fasciculos edidi, quod opus decem continet fasciculos juxta Plumierii delineationes iconibus itidem illustratos. Est mihi

porro ingens collectio Zoophytorum et Lithophytorum; si hujus generis quaedam tibi supersint atque simul addere velles ad collectionem meam augendam, ego tibi illorum, quae in duplo mihi sunt, subministrabo varia. Tandem insectorum conchiliorum et lacertarum haud exiguum possideo numerum, tam in liquore conservatorum, quam siccatorum et depictorum.

Haec omnia tibi enarrare tam prolixe velim, ut ex iis colligere posses, qua ratione tibi prodesse valerem, si mihi ea quoque, quae desidero, suppetere velles.

Valeas, vir celeberrime, meque, uti incepisti, favore tuo prosequi pergas.

EPISTOLAE

CAROLI PETRI THUNBERG

AD

N. L. BURMANNUM.

---

1. Amplissime vir,

Patrone et Maecenas optime!

Prius nihil, antiquius nihil esse mihi debet ac potest, quam ingenue testari atque significare, quam conscia sit mens aeris apud te mei; tu enim, patrone optime, in peregrinum, animo dejectum et optimi egentem consilii, tot praestare voluisti favoris documenta, quot nullus unquam promittere mihi potuerim. Summas tibi, patrone optime, gratias ago, pie promittens, favorem hunc tuum adeo fore grato animo impressum, ut inde nunquam excidat. Par non possum unquam referre pari, interim tamen ad quaevis officia memet habebis paratissimum, promtissimum. Spero et summopere mihi expeto, velis benigne concedere, ut idem ad te, amicitiam favoremque tuum, semper mihi aditus pateat. Neque minorem a me requirunt gratiarum actionem illae, quas benigne mihi largitus es, herbae, conchilia, &c. et quidem eo tempore, dum ob bona mea in insula Texel retenta, omnis mihi ablata fuit occasio, aliquid dandi; his vero receptis, fidem meam laetus liberare

potui et ex promisso meo, saepius dato, ex insula dicta cum navi (*Packschuyt*) Amstelodamum misi Dissertationes XXI, herbas, thecam insectorum, et semina. Addidi etiam semina Professoris van Royen, quae dum occasio sese obtulerit, spero ut ei mittas. Herbis inscribere nomina tempus non permisit, sed inscribam forte olim, si fata mihi non denegaverint Amstelodamum redire. Pro seminibus, alia semina etiam atque etiam expetita volo. Ex *Ericis* illis, quarum copiam tibi, patrone optime, placuit dare mihi, aliquot jam elaboravi species; quam primum omnes examinare et describere tempus permittat, descriptiones qualescunque transmittam: doleo, me non habere ad manus Auctores, quorum circa hoc genus figuras consulere possem.

Quotidie jam occupatus sum in dissecandis cadaveribus et addiscendis operationibus chirurgicis, quas exercendi heic optima, ob copiam cadaverum, sese offert occasio. Si litteras ad memet dare haud dedigneris, titulus erit: *à Paris*, *Rue St. Jaques*, *vis à vis l'église de St. Yves*, *chez Monsr*. Personne, *Maitre coutelier*.

Digneris velim, Patrone optime, favore tuo me amplecti, qui ad rogum usque maneo, maneboque,

Vir amplissime atque Patrone optime,

Tuus cliens cultorque obsequentissimus,

CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Parisiis d. 10 Mensis Christi 1770.

2. Amplissime Vir,

Patrone Fautorque optime!

Quas ad me dedisti litterae adeo mihi fuerunt carae, ut carius certe nihil; verbis enim vix exprimere possum, qua perfusus sum laetitia, dum suavissimum illud tuum promissum legi, mihi nimirum integrum fore, insulam Japonensem ingredi, ejus historiam naturalem cognoscere, notamque tibi, patrone optime, communicare. Vellem, sed deficiunt vires, desidero satis convenientia verba, dignas tibi agere grates, pro tanto tuo in me favore, proque indefessis opera et curis, mei caussa susceptis; tamdiu tamen temet, ut optimum benefactorem, venerari non intermittam, quamdiu in vasis suis sanguis circulum suum decribere non desinat. Significo itaque, me lubentissime velle hanc Indiae ingentem insulam, gazas ejus detegendi caussa, adire; permittas tamen mihi, velim, ut absolutam adfirmationem dicam tum primum, cum ad Hollandiam venero, dum instructior ero de conditionibus et omnibus requisitis et sciam, si in examine chirurgico praestanda possum praestare. Ut primum igitur fieri possit, Amstelodamum petam, scilicet dudum apud me constitui, ante finem mensis Junii hinc abire. Parisiis sine dubio optima est occasio, anatomiam, chirurgiam et artem obstetriciam addiscendi, hisque studiis a primo meo huc adventu, fidelem navavi operam, sic ut dubitare non debeam, quin examen requisitum subire queam; sed tamen obstacula, quae jam me fugiunt, et quae jam non cogito, exsurgere possunt. Spero nihilominus

optima quaevis! Promissis stare fidemque, quam dedero, liberare, difficile mihi non erit; per se enim patet, ex omnibus cujuscunque generis et speciei naturalibus rebus, quae oculis meis obveniunt et quas colligere contingit, primum et optimum specimen fore tuum et, si quidam alii ad impensa contribuunt, sequentia specimina eorum erunt. Quum vero ex plurimis objectis non unum vel alterum specimen occurrat solitarium, sed plerumque multa eodem loco obveniant et colligi possint, spero hoc mihi non fore denegatum, pro me ipso, pro arch. Linnaeo et forsan pro alio fautore colligere, quae ulterius copia obveniunt. Alterum, quod imprimis mihi expetere volo, est, ut liceat mihi in Europam redire, dum ejus desiderio non vincendo capitor; et credo, si liceat mihi duas transigere aestates in Japonia, pauca a me non visa et descripta supererunt, nam non parcam neque pedibus pro faciendis excursionibus, neque itineribus neque laboribus pro colligendis et describendis rebus. Dum occasio sese offert, bis vel pluries per annum, collecta tibi cum navi quadam transmittam, sique permittere velis, ut etiam quid mittam ad Arch. Linnaeum, hoc mittere volo per tuas manus, ut videas, me nihil ei dare, cujus non factus es particeps. Hoc tuum erit, patrone optime, quod supplex oro, procurare, ut necessaria mihi non desint, alias cum omni fructu iter facere non possem. Sed numne perfecte linguam Hollandicam loqui debeo? — quantum in me est, eam addiscam. Ut petiisti, fautor honoratissime, necessaria, quae in itinere Japonensi requiruntur, quantum in animum revocare mihi pos-

sum, enumerare volo, scilicet libri aliquot charta grisea confecti pro siccandis herbis; charta pro conservandis herbis siccatis; thecae aliae pro deponendis insectis, aliae pro conchiliis, aliae pro piscibus, proque mineralibus aliae; lagenae spiritu vini repletae pro aquatilibus. Spero quidem, quod in navi, cujus chirurgus ero, inveniantur simul cum medicamentis etiam instrumenta chirurgica; sin minus, necesse est, ut ejusmodi emam: instrumenta portatilia, ut oportet chirurgum, acquiram mihi heic Parisiis. Libros quidem habeo aliquot necessarios, sed de aliis, non minus necessariis, sollicitus sum, quomodo mihi acquirere possem, scilicet Kaempferi fasciculos Amoenitatum exoticarum, Dillenium de muscis, opera patris tui, tuamque floram Indicam, Linnaei musaeum reginae; et, si haberi possent, Linnaei Floram Zeylanicam, Amoenitatum Linnaei tomum 7, Meistern hortum Indiae orientalis, Osbeckii iter chinense, Kolben iter in Caput Bonae Spei, Bohadsch de Mollusois et Ellis de Corallinis &c. Bonum quoque desidero microscopium. Dubitare non debeo, quin aliae necessariae res, ut vestes et ejusmodi, in Japonia acquiri possint. Interim per has duas menses, dum heic commoror, chirurgiae diligens dabo operam et si fata ita velint, ut Japoniam et alios Indiae tractus attingere mihi contingat, semper pro virili allaborare conabor, ut temet, patrone optime, missionis nunquam poeniteat.

In chirurgicis heic et multa et quaedam nova addidici, in medicis vero nullos heic facere potui progressus; medicina enim heic non floret. Hospitium nuper com-

mutavi; si itaque ante medium mensis Junii, aliquid mihi demandare velis, fautor optime, adeoque litteras ad me dare, hisce litteris inscribas velim: *à Paris, chez monsr. Brochot, rue St. Jaques, au coin de celle de platre.* Antequam Parisios relinquo, forsan mihi licebit adhuc semel litteras ad temet dare. Usque dum vixero, permanebo,

Amplissime Vir, Patrone optime,
tuus cliens obstrictissimus
CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Parisiis d. 14. 1771.

---

3. Amplissimo Viro
Domino NICOLAO BURMANNO
S. P. D.
CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Laetus recordor debiti mei, gratias tibi summas agendi, Patrone optime, ob omnia et singula favoris tui specimina, quae in me collocata gratiosissime voluisti. Certe plura a parentibus in liberos proficisci non possunt beneficia, quam quidem illa, quorum ego a te, fautor optime, particeps factus sum. Sentio quidem ego aes et obligationem apud te meam, sed desidero simul verba, quibus digne deberem gratam significare mentem: infinite enim tibi, fautor summe, obstrictus sum et semper manebo. Testor tamen tibi jam et semper gratissimum animum, quem ad mortis usque momentum servare pro virili conabor. Etiam Patri tuo maximas gratias habeo, ob singularem gratiam, quam

mihi praestare, venerandus senex non est dedignatus, cujus canos venerari ego nunquam intermittam, usque dum vixero.

Ad Texel contigit mihi sequi Dominum Beaumont, et in navicula (*jagt*) societatis Indicae commoratus fui per octo dies; tunc navem conscendere coactus fui, ob infelicem casum militis, cujus pes dexter fune abreptus fuit in ipsa articulatione, cum tibia integra et fibula fracta, tendine Achillis paululum integro: rogavit Dominus Beaumont, ut conscenderem navem, visurus quid esset suscipiendum: omne auxilium positum erat in amputatione, quae ob defectum instrumentorum suscipi non poterat; miles itaque ad urbem missus fuit. — Plurimum favoris mihi praestitit Dominus Beaumont et simul capitaneo navis memet commendavit. Optime huc usque valui et amice vivo cum omnibus officiariis in nave: hospitium mihi concessum est in (*kajuit*), sed post aliquot dies mihi conceditur propria camera, in suprema contignatione, ubi cameras habent capitaneus, gubernatores et chirurgus primarius. Triginti circiter aegri in nave hacce inveniuntur, quidam detenti febribus catarrhalibus, quidam pleuritide spuria, pauci diarrhoea. Cista medicamentorum non aperitur, quamdiu manemus in Texel, adeoque pauca ad manus habemus medicamina, quae parva copia per vices ab Amstaeledamo huc mittuntur. Jucundum mihi polliceor iter, sed vita nautica studiis non favet: bis per diem, scilicet hora octava matutina ad decimam et hora quarta ad sextam adimus aegros; per reliquum tempus praeparamus medicamenta, quae non praeparata habentur et

deinde ambulamus in *halfdeck*. Sic teritur tempus, ut vix concedatur quantum sufficit pro scribenda epistola. Spero tamen, quod sub ipso itinere omnia melius erint ordinata, cum jam nullus fere servetur ordo. Ardentibus votibus omnes jam exoptamus nobis faventes ventos. Si mantissa nova Linnaei advenerit, expetam mihi velis, Patrone optime, eam simul cum Dissertatione de fundamentis Testaceologiae mittere ad Texel et *Schoonsigt*, nam sine dubio heic manebimus adhuc aliquot dies. Si ita fert occasio, ut invisas, Patrone optime, fautores meos, Dominum Temmingh, van der Poll et van der Deutz, nec non D. Famars, rogo etiam atque etiam velis, Patrone optime, eis significare gratissimum meum animum. Uxorem carissimam etiam summopere salutatam velim, eique gratias agendas, ob magnum suum in me collocatum favorem. Perennantem salutem floremque toti domo tuae exopto, meque favori tuo Parentisque optimi commendatissimum volo, mansurum ad urnae usque cineres gratum et obsequentissimum nominis tui cultorem.

Schoonsigt in Texel d. 26 Decembr. 1771.

---

4. Amplissimo Viro

D^no^. NICOLAO BURMANNO.

Ante aliquot dies litteras dedi ad te, Patrone summe, quas simul cum inclusis litteris ad dominum Linné et Baeck, ad manus tuas dudum venisse spero. Jam ventis exoptatis vela damus et Europae dicimus vale. Voveo itaque tibi, Patrone optime, fausta quaevis, meque Patri tuo, tibique etiam in posterum commendo; mihi erit

semper curae et cordi, ita peregrinari, ut favoris tui non sim indignus. Ut valeas, floreas, vigeas, diu diutissime, vovet ardentissime,

Tuus cliens et cultor humillimus, obstrictissimus.

Texel d. 30 Dec. 1771.

---

5. Celeberrimo

Domino, Professori BURMANNO

S. D.

CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Jam altera vice, post meum huc aditum, litteras perpaucas dare ad te licet, functionumque mearum rationem dicere. Qualibet septimana ter vel quater excurro, collecturus plantas et insecta, per immense lapidosas montes eorumque colles apricos: semper aliquid, quod antea non vidi, invenio, licet parcissima et noverca hyems plerasque plantas jam jubeat in sinu terrae recondi et tum primum excresci, dum calidior sol propior huic polo accedit. Duas, plus minus, centurias plantarum collegi, quarum dimidia fere pars adhuc siccatur; illas, quae siccatae et adglutinatae fuerunt, jam intermittere nolui, quin ad Hortum medicum Amstelodamensem transmitterem. Incognitas antea plantarum species aliquot inveni, quas descripsi. Insecta hocce tempore pauca occurrunt, sed ex iis paucis, quae sumsi, dimidia fere pars adhuc incognita est Europaeis. Herbas et insecta varia europaea heic inveni spontanea. *Fucus stentorius*, *Trompet* nautis dictus, adhuc Botanicis ignotus est, licet maximus sit fucus, structura

singulari et copia magna occurrat. Illum cum variis aliis fucis et ulvis, spongiis, lithophytis et conchiliis ad littora collegi; conchae vero et cochleae, quas ad hasce littorum oras rejectas vidi, nullum fere nitorem habent. *Oxalis* est genus, quod hisce mensibus floret imprimis: illas accurate examinavi et praeter antea cognitas, aliquot distinctas species constitui et descripsi; deëst mihi tamen adhuc fructus plerarumque, quem nondum maturaverunt. Aves aliquot pro pecuniis acquirere potui, quarum numerum sensim augebo; pelles earum detraho, sale et tinctura aloës spirituosa balsamo, tandemque repleo. Circa nomina avium eruenda, magna mihi est difficultas, cum nullus mihi ad manus sit liber, cujus figuras consulere possum; mas fere semper aliis coloribus atque femina ludit et variat. Huc usque saepius solus exspatiavi, plantas collecturus, nec nisi pro numerata pecunia puerum vel servum conducere potui, qui viam monstraret et plantas domum portaret; paucos ideo bulbos effodere potui, qui etiam hoc tempore non facile inveniuntur, cum neque caulem neque flores habeant.

Desidero et opto vehementer, ut Gubernator, Dominus Rheede van Oudshoorn salvus et incolumis huc adveniat. Spero hunc Maecenatem mihi fauturum, ut melius exsequi possim debita mea circa collectiones naturalium et ut majus mihi concedatur salarium, quod jam mihi adeo parcum est, scilicet vix septem imperialium, ut duplum fere solvere cogar, pro hospitio, qualibet mense. Interim tamen ego indefessus colligam, praeparabo et examini subjiciam naturales Capitis Bonae

Spei gazas et detegere in reipublicae utilitatem vel medicinae commodum, quantum pro virili possum, conabor. *Geranium cucullatum* heic adhibetur pro saccis emollientibus externe applicandis, et radix *Arctopi*, quae resinam albam stillat, optimum erit mundificans, si decoquatur, etiam in gonorrhoea. Opto ut mihi liceat in hocce promontorio permanere usque ad initium anni 1774, sic ut duas heic possim transigere aestates et deinde abire ad Japoniam, ubi vehementissime desidero annum unum vel duos terere, in rara illa orbis terraquei insularum congerie. Favori tuo, celeberrime domine, memet commendatum volo.

Ex promontorio Bonae Spei d. 28 Maji 1772.

---

6. Celeberrimo Professori,

Domino BURMANNO,

Fautori optimo suo,

S. D. P.

CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Altera jam vice hoc anno litteras ad te, fautor optime, exarare licet, simulque indicare, memet jam mittere ad hortum vestrum cum capitaneo Dona, qui navem Hool-Werf, Enkhuysen versus ducit:

1°. Cisternam, herbarium siccum continentem.

2°. Cisternam variis avibus majoribus repletam.

3°. Thecam seminibus capensibus et avibus minoribus, gossypio repletis, farctam.

4°. Thecam ferream, semina quoque Capensia continentem.

Plantis siccis et adglutinatis nomina, quatenus noverim, tam antea nota quam nova a me imposita inscripsi. Seminibus bene multis, ultra 300, nomina quoque addidi. Ad nobiliss. Dominos Directores misi novorum plerarumque seminum catalogum, uti et bulborum antea missorum.

Cum proxime abeuntibus navibus adhuc mittam herbarium siccum, duabus thecis inditum et pelles animalium pro horto vestro.

Jucundissimae non potuerunt non mihi esse, quas, Patrone optime, ad me dedisti litteras, quasque nuperrime uti et Dom. Directorum scripta ad me a capitaneo Popta accepi. Ob illas non minus, quam ob missas et mihi a Dom. Popta traditas pecunias, summas tibi ago iterumque ago gratias. Parenti tuo, honoratissimo fautori meo, summas quoque dico grates. Praeterlapso biennio valde circumscriptae fuerunt circumstantiae meae, sic ut tibi, patrone optime, et ceteris fautoribus meis summis ex votis meis satisfacere non potuerim. Postquam enim duorum Gubernatorum decessum lugeo, sperare ulterius non potui, lapsam meam fortunam erectam heic iri. Praeterea, ut saepius scripsi, defuit in navi *Schoonzigt*, cum qua adveni, nomenclatura, quae jam primum advenit; ideo salarium illud, quod alias ab illustri societate mihi conceditur, accipere non potui. Omni igitur auxilio fuissem destitutus, nisi Dominus Bergh, politiae secretarius, mutuatis pecuniis memet sublevasset. Laetus jam debita mea

solvere et vobis gratissimum, obstrictissimum animum significare possum.

Cum adhuc per annum heic permanere mihi integrum sit, spero me cetera initio insequentis anni missurum fore, tam viva quam sicca, et bona semina, quae hocce biennio scilicet colligere et transmittere non potui.

Si Nobil. Directoribus horti placeat, ut ad Japoniam abeam, ut lubenter volo, opto et expeto, illud iter proximo anno cum advenientibus navibus instituere, neque diutius heic permanere. Etiam igitur atque etiam fautores meos summos obsecror, velint mihi procurare litteras commendatitias Dom. Temminck Gubernatori Bataviae tradendas. Gubernator hujus loci Dominus Plettenberg jussit, ut ejus magni viri litteras commendatitias mihi expeterem, quibus suas quoque adjungere promisit, ut liceat mihi adire non modo Japoniam sed etiam ejus aulam, ut sub illo itinere, quantum fieri poterit, specimina seminum et plantarum acquirere possim. Naves e Batavia Japoniam versus mittuntur mense Junio; necesse itaque est, ut initio insequentis anni, scilicet mense Martio hinc abeam, Bataviam versus, cum primis huc advenientibus navibus, quae plerumque sunt naves e Zeelandia vel urbe Delft et aliquando ex Amstelodamo, si mense Septembri Texel relinquere contigit illis. Summopere itaque te rogo, velis quam citissime procurare, ut cum supra dictis navibus litterae adveniant, ne, serius hinc abeundo, per plures menses cogar commorari in Java, solo ubi valde victu carum est et clima pestiferum, et ubi quolibet anno maxima fit Europaeorum strages dolenda, cujus ex redeuntibus in-

de navibus exempla longe tristissima saepissime vidi, audivique. Praeterea temet rogo, Patrone optime, et summos meos fautores omnes, velitis pro summo vestro in me favore benignissime procurare, ut etiam posthac adeo faventes sint conditiones meae, ut pro vobis quid efficere possim, quibus ut inserviam et desiderata officia praestem, totum me consecravi et consecratum volo.

Promisit gubernator Dominus Plettenberg, interiora Africes hac quoque aestate me posse invisere. Collectiones omnes, ut jussus sum, ad hortum medicum mittam, ut tu et ceteri Domini possint ipsi eligere, quid cuique placeat; sed plantas siccas, quas credo Te, patrone optime, antea non habere, tibi speciatim mittam.

Inclusa jam mitto semina *Rothmanniae capensis*, novi generis, quae nuper accepi; desumta sunt de pulcherrima arbore, foliis sempervirentibus et floribus speciosis; opto sane, possint in horto medico vestro sata excrescere et frigoris rigori sensim sensimque adsuescere.

Fasciculum plantarum siccarum tibi, patrone optime, jam mitto, cum Domino de Lange, qui hinc transit cum navi Hool-Werf. Cum reliquae naves, post aliquot dies hinc abeant, iterum tibi fasciculum plantarum et litteras mittam; interim nomine meo Parenti optimo, uxori carissimae ejusque matri amantissimae salutes velim valeasque.

Cap. B. Sp. d. 1 Maji 1774.

7. Celeberrimo Professori,

Domino NICOLAO LAURENTIO BURMANNO,

Fautori suo optimo

S. D. P.

CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Ultima vice hoc anno jam mihi contingit litteras ad te, fautor optime, dare, cum capitaneo Johanson, qui triticum hinc ad patriam ducit. Hacce occasione mitto quoque tibi, fautor optime, quadraginta aliquot, originales plantarum indigenarum Africes, rarissimarum et plerumque novarum, descriptiones (*), tales quales ultimo itinere per Africam tumultuose et celeriter confeci. Tempus non permisit, eas melius transscribere; dum enim in urbe versor, examen plantarum totum sibi poscit et integrum abripit diem. Occurrunt inter has, ut vides, plura quoque nova genera, et singularia certe. Plantas partim misi dudum ad temet, patrone optime, partim paratas habeo, quas data occasione mittam.

Pulcherrimae sunt quaedam *Cliffortiae* species, (quarum plures heic primum detexi) et externa facie a ceteris notis valde dissimiles; quis enim non crederet *Cliffortiam gramineam* esse graminis speciem; *menthoidem* esse *Mentham*, *coniferam* esse *Taxum*, *pulchellam* esse *Hedysarum*, nisi videret flores. Descripsi

(*) Sunt mihi multae hujusmodi descriptiones MSS. ab optimo *Thunbergio* in chartulis separatis conscriptae, cum plantarum Africanarum, tum vero etiam Japonicarum, quas vero hisce litteris addere minus utile duxi.

itaque omnes a me repertas *Cliffortiarum* species, tam notas antea, quam novas, earumque descriptiones misi ad Societatem Nidrosensem in Norvegia, (cujus membrum sum,) ut Actis ejus inserantur. Plurimae *Cliffortiae* species sunt dioicae, quaedam vero sunt monoicae, et aliquot androgynae. *Anthospermum Cliffortiis* adeo affine, ut vix quidquam differat, nisi calyx 4-partitus et stamina pauciora; ego enim *Anthosperma* omnia semper dioica inveni. Eadem est ratio *Laurembergiae* Bergii, quam Bergius monoicam descripsit; ego vero semper dioicam inveni et summam cum *Anthospermis* affinitatem habere vidi. *Solandra* Linnaei *Hydrocotyles* genus omnino intrare debet; ideoque ego, ut ex missis plantis vides, aliam *Solandram* denominavi.

Campanula, *Roëlla* et *Trachelium* in paucis invicem differunt; vidi enim plures Africanas variare styli stigmatibus 1, 2, 3, 4, 5 et 6. *Royena* videtur esse polygama, saltem *hirsuta*; fere omnes species variant stylo 1, 2 et 3.

Optime valet Dominus Nethling cum tota sua familia, vobisque omnibus per me salutat, iterumque salutat. Dicas quoque, velim, patrone optime meam salutem patri honoratissimo, uxori carissimae, ejusque matri amantissimae, ceterisque omnibus tuae familiae. Vivas diu, diutissime felix et faveas mihi, qui ex animo voveo, in omnibus tibi, patrone optime, inservire, licet circumstantiae saepius memet impediant, ut pro voto, quid opto, efficiam et expediam pro benefactore colendo.

Scripsi Cap. d. 15 Junii 1774.

8. Professori celeberrimo

Domino LAURENTIO NICOLAO BURMANNO

Patrono optimo,

S. D.

CAR. PET. THUNBERG.

Nangasaki Japoniae.
d. 15 Oct. 1775.

Jam ex remotissima Orientis regione, ex ultimo fere orbis angulo, litteras hasce tibi, patrone optime, scribere mihi contingit, postquam e periculoso et maxime procelloso mari in portum Nangasaki salvus et incolumis accessi. Ut fidem meam, tibi, patrone optime, et fautoribus meis ceteris datam liberarem, vobisque solis ut inservirem, semina et plantas rarissimas Japonicas colligendo, iter aleae adeo plenum, non sine summo vitae discrimine ingressus sum; cumque hoc, licet summopere tumultuosum, felix tamen esse placuerit summo Numini, dubitare non debeo, quin idem Omnipotens Numen ceteris quoque meis favere velit conatibus et coeptis in terra hacce; adeo arcte omni ratione peregrinis clausa, ubi nulli aditus advenientibus Europaeis patent, et ubi ipsa natio regni sui statum interioresque qualitates omnes et singulas celare adnititur. Notum satis est, quod advenae heic in parvula quadam insula, *Decima* dicta, captivorum instar, custodiantur et ab omni cum Japonica grege commercio, exceptis custodibus, interpretibus et visitatoribus arceantur; quod quoties navem adeant vel inde redeant, omnium

accuratissime visitentur; quodque modo adeo vili a Japonica sextina tractentur, ut veritas verbis expressa sordeat. Misera haec tractatio de anno in annum semper antea augendo crevit, jam vero hoc ipso currente anno illud attigit fastigium, ut plus non ultra. Unica ergo, quae mihi superest spes, plantas earumque semina accipiendi, est, quod Medici Japonici, facile omnes, Botanicen summopere ament plantarumque qualitates et vires medicas ab exteris Botanicis addiscendi, summa cupiditate flagrent. Per hosce Botanophilos certe spero, sub itinere ad Imperatoris aulam, proximo Martio instituendo, me plura semina arborum fruticumque et arbusculas vivas acquisiturum fore, et forsan ipse quid juxta viam colligere potero, interdum carceres Norimon egressus. Sub commoratione mea heic trimestri ab interpretibus Japonicis varias acquisivi plantas, partim medio munerum, partim argenti, sed metallo aureo fere cariores evadunt; interpretes enim, ipsi a custodibus aliis custoditi, vix quidquam nobiscum communicare et ne quidem cameram Europaei, ingredi audent. Ego certe nunquam limitibus adeo arctis circumscriptus fui, nunquam minus liber, nunquam magis a Flora carissima arcitus: non tamen despero; nam ingenium et labor improbus omnia vincunt. Plantas illas, quas huc usque per interpretes bene remuneratas acquirere potui, siccatas et charto adglutinatas jam ad Hortum medicum vestrum mitto, cum adscriptis nominibus, unde facile videre est, quod plures sint, quae omnino novae et incognitae et ne quidem a doctissimo et lynceo in ceteris Kaempfero, in Amoenita-

tum exoticarum tomo 5, observatae sunt vel adnotatae; quodque non paucae sint, quas cum adjacentibus regionibus Indiae, Chinae, Tartariae, immo cum ipsa Europa et America quoque, communes habet Japonia. Tantillum licet sit hocce herbarium, et totius modo prima initia, spatio duarum mensium idque plerumque per aliorum indoctas manus collectum, adfirmare tamen audeo, quod vix in tota Europa ullum rarius occurrat, quodque post hoc plantae Japonicae semper erint in Europa rarissimae, ut ad hunc usque diem fuerunt. Curae mihi erit, per annuum commorationis meae heic tempus, parvum hocce herbarium tantum adaugere, quantum unquam fieri potest, ea quidem spe fretus, quod fautoribus et patronis meis, neque conatus mei ingrati erint, neque ego ipse oblivioni traditus. Quotannis mihi semper antea contigit tibi mittere ex India plantas novas et rariores; jam vero ex ultimo hoc angulo nihil mittere possum, cum neminem noverim, qui commissa pro te, patrone optime, Bataviae expediat; doleo itaque, quod ante abitum meum e Capite Spei litteras tuas non acceperim, praecipue cum quoque nesciam, an ea, quae ante duos annos ad te misi, rite advenerint. Ante quam Cap. hoc anno reliqui, fasciculum plantarum, ex Africanis certe rarissimarum, non adglutinatarum, misi simul cum scriptis litteris ad te, patrone optime, sperans, quod jam dudum ad manus tuas rite pervenerint. Insequenti anno, dum sine dubio ad Bataviam et forsan ad Europam revertor, herbarium Japonicum tecum communicabo et si ipse eo tempore non in Europam redeam, tamen mittam. Plantis herbarii, quas hac occasione mitto, semina nonnul-

la adjungo, tam pro horto vestro, quam pro singulo patronorum meorum speciatim. Ulterius favori tuo me commendatum habeas velim, qui semper manebo tuus ex asse; nec non verbis meis salutes, Patrem honoratissimum, carissimamque thori sociam.

9.

D^no^. NIC. LAUR. BURMANNO,

Professori celeberrimo, Patrono optimo,

S. D.

CAROLUS PETRUS THUNBERG.

Litteras tuas anno 1774 d. 8 Dec. scriptas, ante abitum meum e Japonia, scilicet mense Augusto 1776 accepi, gaudeoque te cum tota familia optime valere. Ut ex litteris meis a. 1775 e Capite Bonae Spei, e Batavia et ex Japonia eodem anno datis vides, reliqui promontorium B. Sp., attigi Bataviam atque in Japoniam feliciter, non tamen sine summis procellis et horrendis periculis adveni: in hocce imperio per 15 menses commoratus, pro virili collegi, tam ipse, quam per interpretes Japonicos aliosque doctos, quantum unquam fuit possibile, e plantis, arboribus, fruticibus seminibusque, quam collectionem, (licet non satis amplam, nec Capensibus comparandam,) jam ad hortum medicum et patronos meos misi cum hisce navibus. Totam summam efficit theca una major plantas siccas adglutinatasque continens, in qua quoque theca quatuor aliae parvae, seminibus refertae, pro horto et patronis omnibus includuntur: item alia theca selectis, raris et novis praecipue

sempervirentibus arboribus, fruticibus et plantis vivis impleta, in qua plantavi duo vel tria vel quatuor individua cujusque speciei, ut inter hortum et patronos meos dividi possint. Si credidissem, me quid ulterius in Japonia potuisse efficere, sique in statu fuissem horrenda impensa diutius tolerare, certe illam regionem non adeo cito reliquissem, sed unum et alterum aeque fuit impossibile. Scio praeterea, me tantum effecisse illo anno in Japonia, ac unquam quisquam post me efficiet, vel ante me ibi effecit. De impensis meis Japonicis ad patronos meos ne verbulum scribere volui, cum si dicam, non credent. Singulari favore gubernatoris Japonici mihi permissum fuit excursiones varias circum Nagasaki facere, sique dico, me singulo die, quo cum magna corona Japonensium excurri plantas colligendi gratia, coactum fuisse solvere 16 sive 18 imperiales, certe non credes, sique dico, me sub commoratione mea 15 mensium in Japonia, impendisse 1000 imperiales (Duysend Rijksdalers), adhuc minus credes. Haec tamen nihilominus vera sunt, nec aliter esse possunt. Ego non peperci hisce impensis, solummodo ut vobis satisfacerem et inservirem, utque nulla in me foret culpa. Cetera Numinis curae commendo. Dum Hollandiam relinquebam, injunctum mihi erat, in Capite Bonae Spei et in Japonia collectiones facere arborum, fruticum, plantarum et seminum: huic scopo, in Capite Bonae Spei per tres integros annos et in Japonia per 15 menses sedulo et diligenter operam navari. Jam mihi licebit, venia vestra, ob plures rationes, collectionibus in illis regionibus ulterioribus colophonem imponere.

Erat quidem animus hoc ipso anno cum navibus revertendi in Europam; sed debita mea, quae magna contraxi, cum adeo cito non solvere queam, cogor adhuc per annum manere in Indiis. Praeter illa collecta, quae jam mitto ad hortum medicum et patronos meos, etiam collectionem plantarum siccarum et aliquot seminum atque insectorum feci pro D^no^. Radermacher (Raad van Indie), qui fere solus est, cujus favore et sublevatione nummorum mutuatorum, ego in statu fui pro illo et pro vobis colligere in Japonia; vivas plantas solum ad vos misi, plurima semina et plurimas siccas plantas. — Hisce litteris includo ad te, patrone optime, varias descriptiones adnotationesque plantarum Japonicarum, quas variis occasionibus feci: serves velim illas in tui usum meique memoriam. Ex annexis litteris ad D^num^. Kramer vides, me omnino non potuisse excipere propositionem vestram, postquam Cap. et Japoniam reliqueram, jamque nihil magis meditor, quam solutis debitis meis, iter meum in Europam.

Per annum adhuc in Indiis orientalibus commorari cogor; si eo tempore in India calidiore semina quaedam invenire possum, ea certe non intermittam colligere et pro horto vestro servare. Japoniam reliqui initio Dec. 1776 et Bataviam adveni initio Januarii 1777. Hinc constitui abire ad oras maritimas Javae, e. g. ad Samarang vel Cheribon, et dum mense Junio hujus anni redeo Bataviam, ad Ceilonam navigandi animus est, ubi si ita fert occasio vellem quidem per annum manere, et reliquias Hermanni colligere, inde a°. 1778 vel 1779 in Europam reversurus, post octo annos in Indiis transactos. Salu-

tes volim meis verbis reverendum Patrem et amantiss. uxorem. Vivas diu diutissime sanus, salvus et felix, mei semper memor.

Bataviae d. 25 Januarii 1777.

---

10. Illustri et Celeberrimo Viro,

D^no^. Prof. BURMANNO,

fautori optimo

S. P.

C. P. THUNBERG (*).

Praeterita aestate accepi per Hortulanum quendam peregrinantem fasciculum seminum Americanorum, quae

---

(*) Plures hic omissae sunt Thunbergii, quas possideo, epistolae, post ejus reditum in Europam ad annum usque 1793, quo Burmannus diem supremum obiit, pro parte lingua Latina, pro parte lingua Belgica conscriptae. Harum vero epistolarum in mea collectione ultimam modo addo, ne libri moles nimium increscat; ex reliquis tamen hic describo partem epistolae 6 Martii 1787, quae indicationem continet originis substantiarum quarumdam ex materia medica. Scilicet:

Asa foetida ex *Ferula asa foetida*.
Gummi Benzoë ex *Terminalia benzoë*.
Canella alba ex *Canella alba*.
Cortex Winteranus ex *Winterania Canella* (incerta).
Resina elastica ex *Jatrophae elasticae* succo resinoso.
Sem. Carvi ex *Caro Carvi*, saltem in Suecia.
Cineres clavellati e *Robore* et *Fago* combustis, ut plurimum a *Quercu Robore*.
Cubebe ex *Pipere Cubeba* in interioribus Javae. Bergii *Piper caudatum*.

mihi aeque ac litterae tuae humanissimae mihi erant carissimae. Ago, iterumque ago, sincere et summas meas gratias, ob hocce non modo donum, sed etiam ob amorem intimum, quo memet adhuc amplecti pergere tibi placet. Vellem, si possem, digne tua in me omnia collata beneficia describere et extollere. Misi quidem omni anno ad temet Dissertationes meas, si modo acceperis et mittam etiam cum primis navibus ad dominos

---

Gummi arabicum ex pluribus *Mimosis*, maxime *Mimosa nilotica*, Senegal.

Helleborus albus ex *Veratro albo*, quod ad *Melanthii* genus referri debet.

Helleborus niger ex *Helleboro nigro*.

Jalappa a pluribus desumi solet; verissima et optima forsan a *Convolvulo jalappa*.

Ipecacuanha a pluribus desumitur; optima forsan a *Viola Ipecacuanha*. Omnes fere *Contortae* emetica et purgante vi gaudent.

Soda e multis *Salsolis* parari solet; verissima a *S. Kali*.

Ladanum e pluribus *Cistis* parari potest; optimum gummi dat *Cistus creticus*.

Lacca a *Crotone laccifero* in Ceilona.

Lapis porcinus Ceilanicus ex *Hystricis* specie.

Garou cortex ex *Daphne Mezereo*, certe in Suecia.

Radix Lopez ex *Mori* (forsan *indicae*) radice.

Moxa chinensis et japonensis ex *Artemisiae vulgaris* lanugine seu foliorum tomento.

Catechu a pluribus plantis verosimiliter desumitur, etiam ex *Mimosa Catechu*.

Obs. Cascarillae cortex a *Crotone Cascarilla* desumi potest; optimus vero est ille, qui desumitur a *Clutia Eluteria*, quae dat veram Cascarillam.

mercatores Jähraeum et Laurin pro temet, meas pro te paratas dissertationes et quartam partem itineris jam impressam. Reliquas tres priores ante misi. Haec ultima pars est. Optarem, ut posses legere, quum Suecice sit conscripta.

Exspectavi diu occasionem, qua possem hinc fasciculum ingentem ad te mittere seminum; sed cum non invenerim, jam semina capsulis parvis inclusa per (posto) tabellarium mittere cogor. Utinam essent inter haec, quae tibi grata et accepta essent! Arbor illa, cujus nominis oblitum te esse scribis, quaeque indicat, hiemem praeteriisse, quodque absque metu plantae sub dio exponi possint, est *Fraxinus excelsior*: illa omnium ultima inter arbores nostrates, folia sua explicat. Flores mature aperit et floret, sed folia non explicat, ante quam noctes ferreae disparuerint. Sic ab explicatione foliorum signum aestatis desumendum. In meis lectionibus in materiam medicam semper publice ordinem observo, quem sequitur Linnaeus, ut simul botanica tradem in horto secundum systema. Alias melius foret pertractare materiam medicam secundam partes medicinales diversas, ut primum radices, tum stipites, ligna, herbas, tandem flores, semina et fructus atque resinas, gummata, cetera. Minus mihi placet methodus D. Murraij secundum ordines naturales, vel Lewis secundum ordinem nominum alphabeticum. Plantas Capenses examinavi et descripsi usque ad class. 13 inclusive. Classis 14 et 15, volente Deo, labor erit insequentis aestatis. Prodromum Florae Capensis edere interim in animum induxi cum Flora Capensis per plures annos adhuc completa es-

se non poterit. Ex plantis Japonicis novis, 300 tabulas delineandas curavi: adhuc centuria delineanda restat. Multos sumtus impendi huic operi. Vellem edere has tabulas, 25 in singulo fasciculo, si editorem invenire possem, qui mihi sumtus reddere vellet per exemplaria vel aliter. Opus certe foret utilissimum et pulchrum. Sanitate jam fruor meliori, sed occupatissimus et laboribus innumeris obrutus perfecte sanus valere nequeo. Uxor mea carissima integra sanitate perfruitur et liberi mei duo gaudium meum sunt. Filius unicus annorum octo historiam naturalem amat et, ut spero, ejus olim erit doctus et peritus. Statuam porphyream jam paramus heic Upsaliae, in memoriam immortalis Linnaei. Tibi statua erit erecta, dum vixero, in grato meo corde. Salutes omnes tuos a me, tibi obstrictissimo et vivas semper semperque felix, memet nunquam non, ut ante, amans.

Upsaliae d. 16 Aprilis 1793.



CONTENTA.



(*) Errore typographi haec epistola non inserta est post pag. 142, quo loco ordine chronologico collocanda fuisset.

INDEX

GENERUM MEMORATORUM.

(*) Synonyma litteris *currentibus* expressa sunt.



ERRATA.

Pag.	12	reg.	1	loco	Lugdini,	lege	Lugduni.
—	52	—	11	—	perduxi	—	perducta est.
—	56	—	1	—	aceptis	—	acceptis.
—	58	—	26	—	, aliis	—	; alias.
—	59	—	14	—	unicumque	—	unicamque.
—	—	—	19	—	pulcherrimam	—	pulcherrimum.
—	78	—	1	—	mutilitae	—	mutilatae.
—	89	—	15	—	qua-	—	quo-
—	109	—	8	—	frutificatione	—	fructificatione.
—	137	—	12	—	plantas	—	planta.
—	155	—	19	—	prosequor	—	prosequar.
—	168	—	10	—	comtemplandis	—	contemplandis.
—	202	—	22	—	quundo	—	quando.
—	245	—	14	—	decribere	—	describere.
—	250	—	5	—	votibus	—	votis.

EMENDANDA.

Pag. 74 reg. 21 *loco* Joh. Sibilla Merian *legatur* filia Johannae Sibillae Merian. — Ita enim eadem de re in aliis epistolis ad Allionium aliosque scripsit N. L. Burmannus.

